Beausoir

SCHOLA HVMANITATIS

Sub Præceptore

AELIO DONATO ROMANO.

ERVDITIONIS ANALECTA

SIVE

LVDVS HVMANITATIS

Romanorum illorum veterum Scriptorum, DONATI maximè Grammaticorum Didascali, ope reseratus,

In quo

Vel rude donati Philologi,

Nedum pueri, qui viua Præceptoris voce destituuntur, ipsi suo quasi ductu varia compositionum genera

breuì ac facilè condiscere poterunt,

PER IO. BAPTISTAM CONRADVM à Monte D. Pauli Asculanum Picenum.



ROMÆ, Formis Francisci Monetæ. M. DC. LIII.

Superiorum Permissu.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. P. S. Palatij Apost. Mag.

Ascanius Riualdus Vicesg.

APPROBATIO.

EGo Franciscus Cordella in Collegio de Propaganda Fide S. Theologiæ Professor ex mandato Reuerendiss. Patris Magistri S. Palatij Apostolici perlegi hoc opus, quod *à D. Io. Baptista Conrado Presbytero Monsanctopolitano apud Picentes* summâ diligentiâ & studio compilatum, *Eruditionis Analecta siue Ludus Humanitatis inscribitur*. Et quia perspexi vtillimum fore studiosis & humanæ & sacræ eruditionis, vnà cum omni humaniorum literarum genere, addiscendæ; & cùm etiam nihil inuenerim, quod & moribus & Fidei Catholicæ aduersetur, ideò imprimi posse censeo. In quorum fidem, &c. Datum Romæ ex eodem Collegio Pridiè Kal. Septembrias. 1652.

Idem Franciscus Cordella.

Imprimatur,

Fr. Vincentius Fanus Mag. & Socius Reuerendiss. Patris Magistri Sacri Palatij Apostolici, Ordinis Prædicatorum.

ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. FRANCISCO ABB. NERLIO NOB. FLORENT.

IOANNES BAPTISTA CONRADVS à Monte D. Pauli Asculanus Picenus

In vtroque homine adolescere.

NON *me fugit, Francisce optime idemque doctissime, plerosque, & cum primis eos, qui publicè ac vtiliter humanas litteras profitentur, admiraturos, & fortasse (vt nunc sunt maligna tempora) exsibilaturos hæc nostra eruditionis Analecta; eò quòd rem actam, vt in prouerbio est, studiosis agam. Quid quòd, mittenda ergo Analecta hæc, quia scopæ in pretio sunt? quia vel veterum litteraria copiosiùs monimenta personant? Vndè argutè Martialis.*

In pretio scopas testatur palma fuisse:
Sed pretium scopis nunc analecta dabunt.

Meritò igitur etsi in alio sensu nos utraque cum Poeta retinemus, scopas videlicet, & analecta, quippe quæ ad Grammaticos analectas transferens Seneca & ea laudauit, non explosit. Ephebus ipse cùm essem, & varia ex varijs, Angelicâ in Vrbe S. Augustini Bibliothecâ adiutus, excerpens colligensque auctoribus, libellum hunc concinnaui potiùs, quàm composui: quo an alius ordinatior, commodior, fructuosior inueniri possit, (facessat à me cenodoxiæ suspicio) Tuum, & fratrum tuorum tam ingeniosorum, quàm perstudiosorum Roberti ac Philippi, omniumque qui æquo poterunt animo iudicare, iudicium esto. Qualis tamen ea cunque sit, amplissime atque ornatissime adolescens, tibi gratulatur fœtura mea, tibique vel domi meæ progenita, fateor, at tuæ, fateberis, per duodeuiginti menses alta, non docendo sed discendo, eâ quâ Romanâ nobilitatus facundiâ es, Hetruscâ quâ natus, plurimùm debet. Ego ni diutiùs patior cum blattis & tineis rixari fœtum, qui quòd nec gratiam referre potest ullam, nec parem agere Tibi, quo in vita nihil vidi modestius, nihil suauius, nihil benignius, ingemiscit ac dolet: Ne patere Tu eruditissime adolescens, ut celeberrimi nominis tui titulus operi meo velut fax quædam præluceat; Te enim ex duplici capite delegi, cui li-

bellum

bellum inscriberem, & ob morum tuorum integritatem, & propter singularem præcipuè in nostram Sacrosanctam Lauretanam Domum Clarissimi viri Petri patris deuotionem, qui singulis annis IV. Id. Dec. nitrati illius ac sulphurei pulueris tam magnificum dat donatque honorarium festo. Verùm enimuerò quid de docti & Musis consecrati sentire debeant, sum olim ausus commonstrare præclaro illi Pontificij Senatus atque adeò Christiani orbis lumini, Eminentissimo, inquam, Principi Ioann. Bapt. Cardinali Pallotto à Caldarola nuncupato, æternæ memoriæ hominum commendando, tam florentissimæ familiæ Tuæ beneuolo (quem semper honoris causà nomino) quo humaniorem, sapientiorem, prudentiorem an eduxerit extuleritque Picenum, dubito. Sed vt ad te redeam humanissime Francisce, tantùm dicam, Franciscum posse ab omnibus amari, pro meritis verò nunquàm satis laudari. Deum Opt. Max. ex animo precor, vt te veris & summis bonis repleat, & cum omnibus, quæ tibi sunt cara, semper tueatur. Vale adolescentum decus. Ex Nostra Sacrosancta Lauretana Domo ad IV. Nonas Apr. anni ab exhibito in carne filio Dei. ƆIC.IƆC.LIII. Romæ.

DE DONATO

Teſtimonia veterum aliquot, & recentiorum Auctorum.

S. Hieronymus ad Pammachium & Marcellinum Apologiâ aduerſus Ruffinum.

In Terentij Comœdias, Præceptoris mei Donati, æquè in Virgilium.

S. Hieronymus Romę habuit liberalium artium Magiſtrum Donatum, annum agens vndeuigeſimum.

S. Gregorius Magnus Epiſt. ad Leandrum Epiſcopum Hiſpalenſem in Expoſitione lib. B. Iob.

Vndè & ipſam loquendi artem, quam magiſteria diſciplinę exterioris inſinuant, ſeruare deſpexi. Nam ſicut huius quoque epiſtolæ tenor nuntiat, non metaciſmi colliſionem fugio, non barbariſmi confuſionem deuito, ſitus motuſque & præpoſitionum caſus ſeruare contemno: quia indignum vehementer exiſtimo, vt verba cæleſtis oraculi reſtringam ſub regulis Donati.

S. Iſidorus lib. 1. cap. 5. Etymologiarum.

Partes orationis primus Ariſtoteles duas tradidit, Nomen, & Verbum: deinde Donatus octo definiuit.

Eadem, quæ S. Iſidorus, repetit Gulielmus Paſtregicus Veronenſis de Originibus rerum.

Venerabilis Beda reſtituit cunabula Grammaticæ artis Donati, quæ habentur in 1. tomo.

Ex

Ex Genebrardo lib.3. Chronographia.

Donatum Grammaticum cum vtroque parente martyrio functum sub Iuliano, refert Gigas in temporum floreto.

Cledonius Senator Romanus, Cōstantinopolitanus Grammaticus in expositione Artis primæ & secundæ eiusdem Auctoris.

Fluentibus verbis scribis ad me, vt ea, quæ in arte vtraque doctissimi Donati nebulosâ caligine legentis obscurant inscitiam, lucido sermone ad te perferenda rescribam.

Laurentius Valla lib. 2. Elegant. Præfatione.

Tres illi tanquam triumuiri, de quorum principatu inter eruditos quęritur, Donatus, Seruius, Priscianus: quibus ego tantùm tribuo, vt post eos quicunque aliquid de Latinitate scripserunt, balbutire videantur.

Iacobus Philippus Forestus Bergomas Augustinianus in Chronicorum supplemento.

Donatus non minor Rhetor, quàm Philosophus & Grammaticus, D. Hieronymi Præceptor.

Ioannes Ludouicus Viues de disciplinis lib. 2. qui est de Grammatica.

Vndè sunt quęstiones super Donatum, & Glossa notabilis cum argumentis, & manulis, & alia iucundiora dictu, quàm lectu.

Iulius Cæsar Scaliger Poëtices lib. 3. c. 26.

Grammatici enim in cymbis quidem sunt, marisque transmittunt superficiem Maroniani: nihil tamen expiscantur. Solus Donatus meritus est, qui Poëtarum anima diceretur.

Pe-

Petrus Victorius variarum Lectionum lib.23. cap.24.

In Donati Terentianis Cõmentarijs,&c. Grammaticus ille, *scilicet Donatus*, diligens, & Magister dicendi non contemnendus.

Ex Catalogo Scriptorum Bibliothecæ Tigurinæ.

Ælius Donatus Grammaticus, Præceptor Diui Hieronymi scripsit artem Grammaticæ, quæ in manibus puerorum, quanquàm in epitomen redacta, Scripsit argumenta in P. Ouidij fabulas, vitam Terentij, & Virgilij.

Marianus Victorius Episcopus Reatinus in vita S. Hieronymi.

S. Hieronymus Romæ non solùm disciplinas humaniores, Latinas, & pariter Græcas litteras didicit, Præceptore vsus Donato. De Victorino Rhetore ambigitur.

Antonius Mancinellus Veliternus ille in epist. ad Pindarum, Quintum, & Sextum filiolos suos.

VErùm plerosque arbitror id miraturos, putantes rem facilem esse, Donati opus exponere seù docere; minimè namque aduertunt, quibus locis sit difficultas.

P. Lucidus Mancinellus Monsanctopolitanus iste Asculanus Picenus Ordinis Minorum Sancti Francisci in illa sua Encyclopadiæ disputatione nouissimè habita, ac typis mandata.

De Grammatica, inquit; Donatum, & Guarinum Sector.

Diony-

Dionysius Petauius Aurelianensis è Societate Iesu in Rationario temporum par. primæ lib. VI. cap. IV, ab anno 237. Christi ad 301.

Doctrinæ laude celebrantur Eusebius Cæsariensis, qui anno 340. decessit: Victorinus Rhetor: Donatus Hieronymi Præceptor.

Tandem Nos in alterius editionis Donati an. 1647 dedicatoriâ ferè totâ encomiasticâ ad Romanam iuuentutem, siuè Latialis eloquentiæ candidatos, in qua oramus, vt omnes Aelianam caussam herculeè tueantur, hæc scripsimus.

Ex cuius Grammatices officinâ, tanquam ex equo Troiano, quot iam reuerà, trecesimum ab hinc ferè & millesimum annum, exierunt præditi viri? Iurisconsulti, Philosophi, Theologi, vrbium Rectores, Reges, Imperatores, Religiosi, Episcopi, Cardinales, ipsique Summi Romani Pontifices, & Eximius denique ante alios Doctor Stridoniensis S. Hieronymus, cuius inimitabilis doctrina in Ecclesia Dei semper habita fuit, semperque habebitur. Hinc Grãmatico huic opusculo tanta facta est auctoritatis accessio, vt tot præteritis iam sæculis apud eruditiores Grammaticos per Ἀντονομασίαν excelentiam latinè, Donatus appellatus sit: Donatusque apud tyrunculos, vel penitùs ineruditos appellatur, appellabiturque, velint nolint Donatomastiges, si qui sunt, Musæi litteratores vniuersæ humanæ posteritati; solusq. hic dignus erit, cuius libelli paginæ manu diurnâ atque nocturnâ ab omnibus versentur.

De

De nonnullis magis illustribus viris, qui litteras, & optimas artes, earumque studiosos prouexère, vel adiuuerunt.

C. Mecœnas Eques Hetruscus fuit Fautorum Princeps, qui inter Augusti amicos ob fidem ac diligentiam in rebus vel secundis, vel aduersis præstitam, vt quiuis alius celebratur, maximè à Virgilio, Ouidio, Horatio, & Propertio.

Pomponius Atticus Ciceronem exulantem sestertijs ducentis & quadraginta millibus adiuuit. Cornel. Nepos in illius vita.

Scipio Africanus à Q. Ennio laudatus eundem genti Corneliæ inseruit. Ex Lilio Giraldo.

Alexander Macedo Aristotelem prçter alia Stagiris oppido & instaurato donauit. Ex eodem, qui & Virgilium ab Octauia Augusti sorore multo ære donatum esse ait.

Et ex nostris S. Fulco natione Scotus, Episcopus Papiensis quindecim studiosos pauperes cum prçceptore alebat. Ferrarius 26. Octobris.

Ioannes XX. Pont. Rom. adolescentibus indigis opitulabatur, quò literarum studium explere possent. Platina.

Leo X. extitit omnium bonarum artium studiosorum perfugium. Tursellin. lib. 10. Epitom. histor.

Gregorius XIII. nunquam satis laudatus quot Collegia etiam in remotioribus mundi plagis erexerit, in Aula huius Romani, prçpter Auctores, inspicitur.

Sixtus V. qui nunquam immeritos ad dignitatum apicem extulit, imitatus Nicolaum illum IV.

Ascula-

Asculanum,qui omnes pariter, vt inquit Platina, amabat: nec plus se debere affinibus & cognatis, quàm cuiuis bono arbitrabatur; nam virtutes & vitia faciebant, vt in hunc magis, quàm in illum inclinaret, Picentinis ciuibus suis adolescentibus Bononiæ Collegium: Fratribus verò sui Ordinis Romę illud S.Bonauenturæ nuncupatũ, cõstituit.

Paulus V. Burghesius Doctores, qui in Lycæo Romano, *Sapientiâ* vulgo appellatâ, iuuentutem bonis litteris informarent, acciuit, in pretio habuit, pręmijs, ac honoribus propositis inuitauit. Adolescentes, quorum ingenij pręstantiam, & indolem ad virtutem pręlucentem, res domi angusta opprimebat, pecunijs collatis sustentauit, & beneficentiâ profusâ ad optimarum artium studia inflammauit. F. Abrahamus Bzouius Polonus Ord.Præd. in eius vita.

Sed quid de Vrbano VIII. qui Collegium de suo nomine Vrbanũ nuncupatũ de Propaganda Fide in Vrbe erexit, dicã? Iugiter collachrymãt eũ Musę.

Denique Carolus Septimus, Sexti Filius, Gallorum Rex solenni Episcoporum concilio Pragmaticam instituit sanctionem, vt qui magnâ olei impensâ euasissent litterati, ad Sacerdotia proueherentur; Priùs enim curę animarum (quas vocant beneficia) mulionibus, aut etiam lenonibus pręsulum dabantur: ita vt vtilius multò videretur, in aulica vita eius rei gratiâ parasitari, & scurram agere, quam studium litteris impertiri. Asini enim portabant mysteria: doctos oportebat suâ famâ contentos viuere, nec aliquid sperare quidquam. Ex Officina Textoris.

IN-

INDEX

Eorum, quæ in his Grammaticis analectis continentur.

Com-

I Re-

PRÆ-

PRAELVDIVM

De Humanitate, siue Eruditione cùm Humana, tùm Diuina.

VT faciliùs, & benè intelligatur, quid sit Humanitas (ea nimirùm, quæ apud authores pro Eruditione sumitur) repetenda sunt nonnulla ex nostris cõpendiarijs, quas iuxta Logices principia in vniuersam Grammaticam Latinam quinque ab hinc annos in lucem edimus, quæstionibus: In illis enim profectò diximus, duas esse Grammaticæ partes (secundarias scilicet; nam primariæ quatuor sunt, videlicet litera, syllaba, dictio, & oratio) Methodicen, & Historicen, Methodice est finitiua Grammatica. quæ præcepta, rationemque loquendi breui quadam via demonstrat. Historice verò est enarratiua, atque expositiua Grammatica, quæ authores enarrat, atque exponit. Hac Grammatici exornati dicuntur eruditi, idest humani, vulgò humanistæ, quorum partes ex Politiano hæ sunt, vt omne scriptorum genus, Poëtas, Historicos, Oratores, Philosophos, Medicos, Iurisconsultos excutiant, ac vertant. Nostra ætas parua peritia rerum veterum nimis breui gyro Grammaticum sepsit. Et apud antiquos olim tantum au-

 ctori-

ctoritatis hic ordo habuit, ut censores essent, & iudices scriptorum omnium soli Grammatici, quos ob id etiam Criticos vocabant. Methodice in infimis, Historice olim in supremis docebatur classibus ab eruditis illis Grammaticis, quod iure, & sapienter, nunc nostri retinent in suis scholis. Ergo Humanitas, quae Historice Grammatica nobis dicitur, potest definiri bonarum artium scientia. Vel ut Gellius lib. 13. cap. 15. Humanitas est eruditio institutioque in bonas artes, quas qui sinceriter appetunt, ij sunt vel maximè humanissimi. His enim artibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, pro Archia inquit Cic. Et artem definiunt esse facultatem, quae praeceptis quibusdam, ac regulis cōtinetur. Hinc artes ipsae liberales, Humanitatis studia appellata sunt apud eundem Tullium, eò quòd ingenio coluntur, & propterea dignae sunt liberis hominibus. Sed Humanitatem, Historicen Grammaticam esse ex eo colligimus, quòd cum Humanitas Graecè παιδεία dicatur, quae Latinè etiam eruditionem, disciplinam, castigationem, sapientiam, literarum studium, educationem, institutionē in bonas artes, rationē instituēdi sonet: Eruditio non est, nisi multarum rerum, ut puto, notitia cum elegantia adsit, sine qua authores à magistris enarrari, vel exponi suis sanè non poterunt auditoribus: fiat id vel voce, vel scriptis. Quare Arist. lib. 1. de part. animal. ait, duos esse modos contemplandi & docendi: nobiliorem esse ἐπιστήμην id est scientiam: alterum ignobiliorem, παιδείαν id est eruditionem

hoc

hoc est, humanitatem, siuè peritiam, non solùm ad animi tutionem, sed corporis etiam. Et meritissimò, ac certa ratione id Peripateticorum Magister astruxit; cum scientia, quæ est certa alicuius rei per propriam, & necessariam causam cognitio ex vsu, qui sæpè mutatur, licèt hunc non negauerim cum Cicerone esse optimum magistrum, qui si frequens fuerit, omnium magistrorum ex eodem opera superabit. Hæc de Humana Eruditione.

Diuina autẽ docta est à Salomone Prouerbiorũ c.1. in hæc verba: Parabolæ Salomonis filij Dauid regis Isräel ad sciendam sapientiam, et disciplinam, ad intelligenda verba prudentiæ, et suscipiendam eruditionem doctrinæ, iustitiam, et iudicium, et æquitatem. Vt detur paruulis astutis, et adolescenti sciẽtia, et intellectus. Audiens sapiens, sapientior erit: et intelligens, gubernacula possidebit. Animaduertet Parabolam & interpretationem, verba sapientũ & ænigmata eorum. Timor Domini principium sapientiæ. Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. Item *Danielis cap.1. Et ait Rex Asphenez præposito Eunuchorum, vt introduceret de filijs Israël, & de semine regio, & tyrannorum pueros, in quibus nulla esset macula, decoros formà, & eruditos omni sapientia, cautos scientiâ, & doctos disciplinâ, & qui possent stare in palatio regis, vt doceret eos literas, & linguam Chaldæorum. Dixerat etiam Dauid psal.89, Dexteram tuam sic notam fac, & eruditos corde in sapientia. Hoc est Dexteram tuam* Christum tuum *sic notum fac,* vt discamus

mus bona æterna, non terrena: *& eruditos* reddit nos *corde* humano *in sapientia* cœlesti. *Declarans hanc diuinam eruditionem L. Cœlius Lactantius Firmianus, in quo summa pietas cum admirabili eloquentia est coniuncta, lib. 3 de falsa sapientia cap. 13. Superest, inquit, pars illa philosophiæ tertia, quam vocant Logicam, id est rationalem, in qua tota dialectica, & omnis loquendi ratio continetur. Hanc diuina eruditio non desiderat: quia non in lingua, sed in corde sapientia est: nec interest, quali vtatur sermone: res enim, non verba quæruntur. Et nos non de grammatico, aut oratore, quorum scientia est, quomodo loqui deceat, sed de sapiente disserimus, cuius doctrina est, quomodo viuere oporteat.*

Hæc satis pro intelligentia vtriusquè Eruditionis siuè Humanitatis, quam hodiè manè inter B. Catharinæ Virginis, & Martyris lectiones diuinæ psalmodiæ recitandas agnoscimus Hæc enim à prima ætate studia liberalium artium cum fidei ardore coniungens, breui ad eam sanctitatis & doctrinæ perfectionem peruenit, vt decem & octo annos nata eruditissimum quemque superaret. Vna ergo ancilla Christi (inquit Marulus) disputando vicit, quos tota Platonis Academia vincere non potuisset.

PRAE-

PRAECEPTIONVM DE CONSCRIBENDIS EPISTOLIS EPITOME.

QVID eſt Epiſtola? Eſt abſentium amicorum, quaſi mutuus ſermo.

Vnde dicitur Epiſtola? ἀπὸ τοῦ ἐπιστέλλω quod eſt mitto, aut per literas abſenti aliquid ſignifico.

Quod eſt epiſtolare officium? Eſt de re familiari, aut quotidiana conuerſatione aliquid ſcribere, & quodammodo abſentes inter ſe præſentes fieri, dum mutuò, quid aut velint, aut geſtum ſit, nunciant: licèt interdum confabulationis tale conuiuium, doctrinæ quoque ſale condiatur. Sic S. Hieronym. tom.3. epiſt. 130. ad Marcellam.

Quare inuenta fuit Epiſtola? Vt certiores faceremus abſentes, ſi quid eſſet, quod eos ſcire, aut noſtrâ, aut ipſorum intereſſet.

Quænam eſt materia Epiſtolarum? Sunt res, quę animo conceptæ inſinuantur abſenti amico.

Quinam eſt finis? Eſt abſenteis velut pręſenteis alloqui.

Qualis debet eſſe Epiſtola? Quales ſunt amicorum mutuę confabulationes.

Quemnam characterem amat Epiſtola? Humilem, proximéque ad Comicam phraſin accedentem

tem, & (vt planiùs dicam) simplicem, festiuam, dilucidam, minimèq; ìe fucatam scribendi rationē, quæ suam tamen elegantiam non negligat. Quæ res Doctissimorum magis obseruatione, quàm scholaribus pręceptis acquiritur.

Quot sunt genera dicendi, vel scribendi? Tria, Primum graue, siuè sublime, & amplum, quod crebris figuris adornatum rebus heroicis conuenit, vt in Tragœdijs. Secundum humile, vel infimum, quod citra fucum, & magnificum cultum humi serpere videtur, vt in Comœdijs. Tertium mediocre, quod medio modo se vtrique attemperat, vt in Historijs. Hinc tria Epistolarum Genera.

Quæ Epistolæ cōtinentur sub priori genere? Nimirum illę, quæ de diuinis rebus agunt, vt sunt Epistolæ Apostolorum, & quæ Ecclesiasticę dicuntur, de quibus infra in Breuiario.

Quæ ad infimum genus reducuntur? Quę de rebus familiaribus, vt sunt illę Ciceronis, & aliorum.

Quæ ad mediocre? Quæ de rebus seuetis, vt de Rep. de Imperio, de statu Regnorum, & de id gegnus alijs.

Da distinctiùs Epistolarum species. Alię sunt de moribus, vt Senecę, item Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Cypriani, & aliorum, quæ continent etiam multa de rebus diuinis. Aliæ sunt de rebus, seueris tamen vel grauibus, quę quotidie accidunt, vtpotè, quę tempore pacis, vel belli, aut ex castris ad vrbem, aut ex vrbe in exercitū scribuntur, ferè similes historiæ. Aliæ, quæ de re-

bus

bus nouis qualescunque acciderint, certiores faciũt absentes. Alię consolatoriæ, vt si vel propinqui alicuius, vel amici mors, aut calamitas interuenerit. Aliæ commendatitię, vt cum amicum aliquem, aut familiarem, aut alioquin notum siuè ignotum literis commendamus. Aliæ hortatoriæ, vt cum filios, affines, familiares, discipulos, principes, aut quosuis alios, ad mores, ad studia, ad laudem, ad decus, ad gloriam cohortamur. Alię de rebus familiaribus, atque domesticis, vt de prædijs, pecore, vino, frumento, seruis, & reliquis huiusmodi. Alię mixtę, quę varias epistolarum species tangunt.

Quot sunt genera causarum? Tria Demonstratiuum, Deliberatiuum, Iudiciale.

Quid facimus in genere Demonstratiuo: Laudamus, aut vituperamus personas, nempe diuos, & homines: facta nempe diuorum, & hominum res gestas: & res alias quaslibet, nempe quæ neque personę, neque facta sunt, vt si Dauidem commẽdemus; personam laudamus: si μονομαχίαν, (quod est duellum, siue singulare certamen duorum) eius, qua Goliath Getheum fortissimè strauit, factum laudamus. De vituperationibus idem iudicium est.

Quid in Deliberatiuo? Suademus aut dissuademus, hortamur aut dehortamur, poscimus aut negamus, precamur aut deprecamur, consolamur &c. Vt si studia Græcarum literarum suadeam aut dissuadeam, aut tepentem ad alacrita-

tem horret, poscam subsidium, deprecor pœnã, &c.

Quid in Iudiciali? Pro diuersis statibus accusamus aut excusamus, seu defendimus, expostulamus, &c.

Ostende Genus Demonstratiuum Personarũ. Huius Generis epistolę per se quidem rarę sunt; frequenter autem in alijs Epistolarum generibus, aut laudationes, aut vituperationes incidunt. Si itaq; in aliqua epistola, aut generis Deliberatiui vt frequenter, aut generis Iudicialis, vt frequentissimè Persona laudanda, aut vituperanda est, id fiet his locis sequentibus.

A Natalibus, si splendidis, nobilibus, & honestis parentibus ortus, deducendo laudes ab auis, abauis, atauis, & sanguine coniunctis.

A Pueritia, si bonæ indolis, si rectè educatus, & bonis moribus, & Christianis legibus institutus, si felici ingenio præditus sit.

Ab Adolescentia, vt quàm honestis se studijs occupauerit, quàm propensus ad litteras, ad philosophiam, ad probitatem, & quemlibet honestum laborem, quàm morigerus parentibus, quàm obsequens senioribus, quàm procul ab omnium lasciuia, quàm abstinens vini, & Veneris.

A Iuuentute, seu Virili ætate, vt quàm decenter & publicè & priuatim se gesserit, quàm prudenter (videlicet) Remp. & domesticam administrauerit, quàm iustè innocentes defenderit, & in facinorosos animaduerterit, quàm pudicè sobrieque coniugem, liberos, & totam familiam aluerit. Nam hoc loco conducet (maximè si varię sint) secundũ

qua-

quatuor genera virtutum Prudentiæ, Iustitię, fortitudinis, & Temperantię res gestas explicare, & in ordinem quendam redigere.

Ab ipsa Senectute pari ratione atque à Virili ętate. Ab vltima Morte quoque, si quid laude dignũ occurrerit. Nec minùs enim Senectuti, quàm Iuuentuti, imò tutiùs committi solet rerum administratio. Et in ipsa Christiani hominis Morte, tum virtus, tum fiducia in Deum plerunquè magis elucebit.

Porrò in Vituperationibus hos locos in contrarium torquebimus, vt à Natalibus improbis, vel obscuris. Ab indole peruersa, & mala educatione. A studijs adolescentię inhonestis, &c. Inter hęc licebit nunc dotes animi, nunc corporis cum laude commemorare, aut eorum monstrositatem vituperare. Item commendare solemus personam à Natione, à Patria, ab Habitu, à Conditione, à Fama, & cæteris personarum circumstantiis. Et quia Demonstratio personarum tota fermè in laudum commemoratione versatur, præter Narrationem aliam ferè orationis partem non habet, nisi fortè occurrat in vita hominis aliquid laude dignum, quod vel defendendum, vel excusandum est. Perorationem quoque admittit, dum auditores vel ad imitationem, vel ad gratulationem, vel ad Dei laudem optimi viri laudibus incitamus.

Explana Demõstratiuũ Factorũ. In Demõstratione Factorũ narramus breuibus, si facti ratio satis auditoribus non cõstat. Si cõstat, tantùm summariam facti

facti rationem, hoc est, capita verbis paucissimis memoramus, vndè totius causę Propositionem seu statum elicimus. Est igitur factum laudandum ab his locis Confirmationis.

Ab Honesto, sub quo Iustũ, & Pium comprehẽdo.

Ab Vtili, sub quo Necessarium, & Iucundum.

A Difficili, sub quo Facile pro aduersario.

Honestas virtuti coniuncta est. Quicquid enim vel ipsa virtus est, vel virtuti cognatum est, vel à virtute proficiscitur; vel ad virtutem conducit, honestum iudicatur. Nam Ciceroni Honestum diuiditur in rectum, & laudabile. Rectum dicitur quod cum virtute, & officio fit. Id quoque diuiditur in Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinem, & Modestiam, seù Temperantiam. Videndum est itaque quemadmodùm secundũ has virtutes non modò Factum in hoc genere, verùm etiam res quęlibet laudari possit, aut his contrarium vituperari. Laudabile est, quod rectè factum cum laude commemorationem habet. Quicquid igitur ad veram amicitiam, fidem, officium, æquitatem, obedientiam, gratitudinem: Quicquid ad pietatem in Deum, patriam parentes, liberos, & proximos: Quicquid ad seueritatem legum, animaduersionem in facinorosos, remunerationem, & defensionem benemerentium attinet: Quicquid ad malorum tolerantiam, longanimitatem periculorum pro religione, patria, parentibus liberis, amicis aggressionem attinet: Quicquid ad castitatem, sobrietatem, frugalitatem, & rebus in om-

omnibus moderamen attinet honestum, iisque contrarium inhonestum semper iudicamus.

Vtilitas, commoda varia ex facto prouenientia complectitur, quibus, vel instantia, vel consequẽtia pericula vitari posse ostendemus. Vtilitatem tamen longè superat Necessitas, si inde argumentum ducatur.

Difficultas ex circumstantiis rei gestæ, colligitur, quæ partim Personis, partim Rebus conuenientes hoc versiculo suggeruntur.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

In constitutione ijsdem locis per contrarium vtimur, vt in laudibus: quam aduersarius dixerit stultitiam, nos contra prudentiam: quam ille sæuitiam, nos seueritatem: quam ille temeritatem, nos fortitudinem: quam ille tenacitatem, nos frugalitatem ostendamus.

Perorationem generaliter supra declaraui mus, qua sub hoc genere auditorum animos post præcipuorum enumerationem argumentorum, vel ad gratulandum in prosperis, vel ad commiserandum in aduersis, per amplificationem mouemus. Hos locos paulò fusiùs prosecutus ideò est preceptor illius magni Estii, Macropedius inquam (ex quo magnam partem, imò ferè totam, & ad verbum excerpsimus) quia non tantùm huic generi Demonstratiuo factorum, sed etiam rebus laudandis conueniant, & nihilominus toti generi Deliberatiuo.

Per-

Perſpicua facito Demonſtratiua rerum. In rebus laudâdis, aut vituperandis fermè iiſdem locis, quibus in Factis, vtimur in Confirmatione. Narratio in hoc genere raró locum habet, cuius loco poſt exordium vtimur Propoſitione. Confirmationis, itaque tres ſunt loci præcipui, vt in ſuperiore genere.

Honeſtum, ſub quo Iuſtum, Pium, &c

Vtile, ſub quo Neceſſarium, & Delectabile, Facile, vel difficile,

Nonne ſunt aliæ diuerſę res, quæ laudari poſſunt? Etiam, & quidem variæ, quę non in homine, ſed in ſe laudari, in quarum laudibus, ſeù viruperationibus diuerſis pro diuerſa earum conditione locis vtimur.

Regiones enim laudamus à regibus earum ſiuè ducibus, ab vrbium in eis frequentia, à copia annonæ; à tranquillitate rerum, à tuto tranſitu, &c. Vrbes laudamus à Reip. adminiſtratione, à religione, & literis, à Populi frequentia, à ciuium bellicoſitate, vrbanitate, concordia, ab ædium magnificentia, à rerum neceſſariarum facili copia, à ſalubritate aëris, à fluminibus allabentibus, à villis montibus, fontibus, ſyluiſque vicinis. Vituperamus à contrariis.

Aedificia laudamus à ſitu, à proſpectu, à figura, à magnitudine, ab amplitudine veſtibuli, à magnificentia atrii, à pulchritudi ne cubiculorum, cõclauium, tricliniorum, penetralium, ab hortis adiacentibus. Item à precioſitate lignorum, lapidũ,

va-

variaque eorum sculptura, & ornatu.

Agros laudamus à fertilitate, declarantes, quid ferant, & quantum ferant, item quo ritu colantur cuiusmodi cultores habeant, item à planitie, seù montositate vtili, & amœna.

Flumina laudamus ab ortu, à colore, à cursu, ab amplitudine, à locis quos præterfluunt, & quos influunt: à genere piscium, nauigiorum, ratium, & cæteris vsibus, ab agris, syluis, nemoribus, quæ irrigant.

Fontes laudamus à perpetua, & abundanti scaturigine, ab aquæ dulcedine, & salubritate, item si quid memorabile, aut prodigiosum habent.

Montes laudamus à radicibus, ab altitudine verticis, à vini, frumenti, & aliarum rerum feracitate, item si quid nouum, prodigiosum, aut preciosum in se continent.

Sic alias res quaslibet, consideratis earum circumstantiis laudare, aut vituperare poterimus. exempla apud Poëtas, Oratores, Historicos, & alios authores obseruanda sunt.

Quid sentiendum de generis Deliberatiui epistola? Partes orationis huius generis easdem ponunt Rhetores, quas nos supra in Demonstratiuo posuimus, nisi quòd narratio rara est.

Quid de Genere Iudiciali, quod Rhetoribus olim coram Iudicibus tractari consueuit? Respondeo, vt supra. Sed narratio frequens.

Quotuplex est Status generis Iudicialis? Triplex. Coniecturalis videlicet, Iuridicialis, & Legitimus.

Quid

Quid est Status? Caput causę seù quæstionis sũmarium generale, ad quod Orator omnia confert argumenta, & auditores præcipuè spectant.

Ex quotuplici quęstione nascitur Status? Ex triplici, videlicet, an sit factum quod alicui obiicitur, quale sit, & quod sit.

Status Coniecturalis, qui & Inficialis dicitur, vndè nascitur? Ex quęstione An sit. In eo siquidem coniecturis, seu temerariis (vt Græci dicunt) agitur, an is, de quo suspicio est, scelus admiserit.

Status Iuridicialis, qui & Qualitatis & Negocialis dicitur, vnde oritur? Ex quæstione Quale sit. Cum iam non coniecturis agitur, quia de facto cõstat, sed an iure, an iniuriâ factum sit, disceptatur,

Status Legitimus, seù Legitimaconstitutio, qui & definitiuus dicitur, vnde nascitur? Ex quęstione Quid sit, cum videlicet generali propositione statuimus, quid velimus: aut iudicemus de facto. Spectat autem maximè ad scholas, & doctorum disputationes, & in epistolas pręsertim familiares rarenter incidit.

Quæ Epistolę continentur sub Gęnere Demonstratiuo? Hæ numerantur apud Caphatum doctè & distinctè.

Eucharistica, quę est circa gratiarum actiones.
Gratulatoria circa cuiusque boni lætitiam.
Laudatoria circa fortunæ, corporis, animi bonorum laudes.
Iocosa circa ludicra, iocos, & huiusmodi.
Narratoria, seu expositoria circa cuiusq; narrationẽ

Nun-

Nunciatoria, seù Communis circa publicarum, aut domesticarum rerum nuncium.

Criminatoria seù Detestatoria circa vitiorum detestationem.

Quæ sub Deliberatiuo? Hæ:

Commendatoria, cum absenti quidpiam commẽdamus.

Monitoria, cum aliquid absentem monemus.

Consolatoria, cum absentes consolamur de re tristi.

Suasoria, seù Hortatoria, cum absentibus aliquid suademus, vel ad aliquid eosdem hortamur.

Dissuasoria, seu Dehortatoria, cum à re aliqua dehortamur absentes, vel dissuademus aliquid iisdem.

Iracunda, vel Inuectiua, cum in aliquem literis inuehimur.

Petitoria, cum aliquid ab absentibus petimus.

Pollicitatoria, seù Munifica, cum munificè aliquid absentibus pollicemur.

Quæ sub Iudiciali? Hæ:

Conquestoria, seù Lamentatoria, cum de re quapiam in absentem querimur.

Accusatoria, cum aliquem accusamus.

Excusatoria, seù Expurgatoria, cùm nobis obiecta expurgamus

Reprehensoria, cum aliquid in absentem redarguimus.

Indicatiua, seu Cõposita, vel Mixta potest esse diuersi generis, quia varias epistolarũ species tangit.

Didactica etiam epistola, quæ & ea Dia-

lecti-

lectica, hoc est, Disputatoria dicitur, varium admodùm habet dicendi genus. Per hanc enim docemus amicum exactè de re qualibet sacra vel profana.

Quot sunt partes Epistolæ? Quinque, Salutatio, Exordium, Narratio, Petitio, & Conclusio.

Suntne omnes istæ partes necessariæ? Minimè. Sed Narratio sola tenet totum ferè corpus Epistolæ. Vt in familiaribus multoties post Salutationem, aut narramus, aut petimus. Et Cicero in suis, rarò, aut nunquam Exordiis vtitur.

Quæ sunt generales eiusdem partes? Salutatio, Valedictio, & Superscriptio.

Estne certus ordo in epistolis scribendis? Nequaquam, sed pro re nata scribendum, & exordiendũ vndecumque libuerit.

Vnde incipit Salutatio? A tertia scribentis persona, & procedit ad tertiam, eius videlicet ad quẽ scribitur, hoc modo: Tullius Curioni salutem dicit. Item adiunctis prænomine, & cognomine sic: M. T. C. Lentulo proconsuli suo S. D.

Quid in hoc cauendum? Ne aut nostro nomini: aut eius, ad quem scribimus, titulorum syluam adiiciamus: nisi velimus, vel arrogantiæ, vel adulationis argui, Sufficit enim quantumuis illustribus ita scribere, Ludouicus Gallorum Rex Matthiæ V. Imperatori semper Augusto Sal. dicit. Itaque pro diuersis hominum statibus solent citra fucum, & calamistrum nonnullis apponere hæc epitheta, siue compellationes. Quod prudentes, & inge-

ingeniosi viri non probant. Neque enim libris M. Tullij adijcit quisquam Oratoris facundissimi, vel Aristotelis, Philosophi acutissimi. Sed moderanda immodica.

Papam, inquam, appellant illi beatissimum, Pontificem Maximum, Optimumque, Sanctissimum D. Petri Successorem, Summum Rumanorum Antistitem, Sanctissimum Christi in terris Vicarium, vigilantissimum Christiani gregis Pastorem.

Cardinalem nouè Principem Eminentissimum.

Reliquos Episcopos, Amplissimos, Sanctissimos, vigilantissimos: Abbates, religiosos, venerandos, suspiciendos, obseruandos: Decanos & Præpositos item venerandos ac venerabiles.

Cæsarem appellabimus Augustum, Inuictissimũ Romanorum Imperatorem, Felicissimum totius orbis moderatorem, faustissimum rerum potitorem, Incomparabilem orbis Monarcham, Diuum Cæsarem semperque Augustum, togatorum Principem inclytissimum, totius orbis triumphatorem.

Regem, inuictissimum: Ducem, illustrissimum: Imperatorem militarem, fortissimum: Principem, clementissimum, generosissimum, clarissimum, splendidissimum, præpotentem.

In magistratu sæculari Consulem appellabimus vigilantissimum: Senatorem, splendidissimum, clementissimum: Ædilem, magnificentissimum: Iudicem, incorruptissimum; Prætorem, integerrimum.

Inter literarum professores, Theologum appellabimus granem, absolutum, syncerum, sacrum, diuinum: Iurisperitos, iuris vel iure cõsultissimos, prudentissimos legum, iuris vtriusque iuxta doctos: Rhetorem, disertissimum, facundissimum suaueloquentissimum: Poëtam, sacrum, diuinum, clarum, inclytum: Dialecticum, acutum, argutum: Medicum, peritissimum, fidum, eximium: Mixtè doctos, vndequaque vel vndecũque doctissimos: Scholasticum, eruditum, bonarum literarum studiosum, doctum, literarum haud expertem.

Inter Cognatos & affines, Patrem dicemus optimum, honorandum, venerandum, obseruandum. Matrem indulgentissimam, Fratrem charissimum. Patruum obseruandum. Cæterùm Nepotes, Generos, Affines, Sodales, Commilitones iuxta appellabimus mellitissimos aut iucundissimos.

Ex illis, qui nulla officij dignitate insignes sunt, diuites, & auctoritate præstantes dicimus Viros optimates, summates, primarios, nobiles, graues, ornatos uirtute, aut moribus ornatissimos, eruditione præcellentes, obseruandos, honorandos, colendos, eximios, egregios, prudentes, spectatos, perspicaces, suspiciendos, circunspectos, non indiscretos. Matronas primarias, integerrimas, probas, pudicas. Adolescentes, ingeniosos, literarum studiosos, probos, modestos, lectissimos, optimæ spei, eximiæ vel generosæ indolis. Milites fortissimos, exercitatissimos. Opifices industrios, solertes, exquisitos, accuratos, &c.

Quo-

Quomodo vtimur Exordio? Tali pacto, si eum, ad quem scribimus, nobis attentum, vel docilem, vel beneuolum faciamus.

Quot sunt Exordij partes? Duæ iuxta Ciceronem: Alteram vocat principium; nam Græcis προοίμιον quasi præambulum dicitur: Alteram vocat insinuationem, & à Græcis ἔφοδος quasi latens ingressus dicitur.

Vndè captamus beneuolentiam? Ab officio personæ nostræ, cùm præcipuè ad nos attinere ostendimus, vt dicamus vel scribamus: aut ab aduersariorũ persona, præsertim in genere Iudiciali, cùm eos in odium vel contemptum auditorum adducimus: aut à commodis eorum, ad quos scribimus vel dicimus: aut à rebus ipsis, quæ tractandæ sunt.

Quo pacto auditores attentos reddimus? Si de rebus vtilibus, necessarijs, magnis, iucundis, aut nouis indicemus nos esse dicturos aut scripturos, & quæ maximè ad pietatem, vel ad Remp. pertinere videbuntur, aut ad patriæ conseruationem.

Qua via Dociles facimus? Si nos dilucidè & planè dicturos aut scripturos, & summam causæ breuiter expositvros promittimus.

Vndè exordiendum? A circunstantia loci vel temporis, item à voto, ab insigni aliqua sententia, à fabula, ab adagio, ab affectus vocabulo, vt sunt: Gaudeo, doleo, demiror, & similia.

Quid summoperè in Exordio cauendum? Ne in eo diffluamus, aut prolixiores simus. Nam in bre-

uibus præsertim epistolis, vno aut altero verbo, seù breuiusculâ sententiâ beneuolentiam captare docti consueuerunt.

Quæ est altera exordij pars? Insinuatio.

Quomodo vtimur insinuatione? Si aut causæ, turpitudo adnexa est, aut animum auditorum à nobis alienum sentimus, aut ipsos auditores præuia oratione fatigatos, nostraue oratione, vel epistola fatigandos suspicamur.

Ob quid dicta est Insinuatio Latinis? Ob hoc quòd per dissimulationem occultè, & quasi non datâ operâ in animos auditorum subrependo nos insinuamus, hoc est, latenter immittimus. Vt si Græcarum literarum studium, quæ pluribus præcipuè earum ignaris (quòd fortasis nonnulli eis abuti videntur) aut suspectæ aut exosæ sunt, laudare vel suadere velimus, dicamus non personam, sed rem spectari debere, nec scientiam aliquam aut studium, propter eorum vitam, qui in ea studiosi sunt, vituperari debere: & deinde pedetentim in animos auditorum illapsi, ad nostram sententiam proponendam deueniamus.

Quid est Narratio? Est breuis, dilucida, & verisimilis rerum gestarũ, vel quasi gestarum ad causam pertinentium, expositio. Vel, vt frequenter in Epistolis incidit: Est rerum gerendarum honesta petitio.

Qua ratione Narratio fiet breuis? Si, vndè necesse erit, cœperimus: si summatim & non particulatim narrabimus: si non vltra necessarium prose-

seque-

sequemur: si transitionibus & digressionibus non vtemur: si per ea quæ dicimus, ante facta intelligentur: si dicta non iterabimus.

Quid faciet Narrationem dilucidam? Ordo rerum gestarum, ordo temporum, & ipsa breuitas.

Quid faciet verisimilem? Si, vt mos, opinio, natura, spacia temporum, personarum dignitas, cōsiliorum rationes, & locorum opportunitates postulabunt, dixerimus.

Quid si in Epistola Narratio desit? Loco eius post Exordium Propositio subiungitur, qua aliarum rerum comparatione thema aut statum causæ proponimus. Nota, quòd Propositio nulli causarum generi deesse debet.

Muniendane est aut corroboranda Propositio in Confirmatione argumentis? Ita, & quidem varijs.

Quid si ab aduersario aliquid vel obiectum sit, vel obijci possit, vel ipsi propositioni contrarium videatur? Sub Confutatione refellimus aut excusando diluimus.

Quid est Confutatio? Est contrariorum locorum dissolutio.

Quid est Petitio? Est verecunda officij, beneficij, aut veniæ imploratio.

Quot rebus constat Petitio? Quatuor, Possibilitate, Honestate, Modo, & Remuneratione.

Quando petendum officium? Vbi iusta est petendi propter merita reciproca ratio.

Quando implorandum beneficium? Dum nulla præcesserunt merita.

 Quan-

Quando venia? Quoties præcesserit culpa.

Quid est Conclusio? Artificiosus orationis aut epistolæ terminus quo, quod plurimum optamus, aut dictum factumue volumus, enunciamus.

Estne idem Conclusio, & Peroratio? Maximè.

Quid facimus Peroratione? Post breuem præcipuorum argumentorum Confirmationis enumerationem studemus auditorum mouendis affectibus; quibus duobus peculiaribus locis, nempe Enumerationi, & affectui Cicero etiam Amplificationem adnectit.

Ex partibus orationis Rhetoricæ colliguntur ne benè speciales singularum epistolarum partes? Ita.

Quænam sunt & quot orationis Rhetoricæ partes? Hæ sex, scilicet Exordium, Narratio, Propositio, Confirmatio, Confutatio, & Peroratio. Quas nonnulli in quinarium, Propositionem à Narratione, cui adnexa est, non separantes: Alij in quaternarium, Confirmationem & Confutationem sub vna Contentione comprehendentes contrahunt. Sunt alij qui & septimam nempe Distributionem Propositioni adiungunt. Nos medio modo, aut sex ponimus has superiores, aut illas quinque iuxta tritum versiculum: *Exorsus, Narro, Firmo, Confuto, Peroro*. Sub Narratione Propositionem continentes.

Suntne accommodæ vel necessariæ omnes istæ partes? Etiam respondent nonnulli, sed Epistolis doctè scribentium. Mihi hoc planè superuacaneum

neum esse videtur, cùm nulla sit ferè epistola, quæ habeat quinque illas partes. Imò tenera hæc puella tantum non sustinet artificium.

Quoniam verò de Epistolis dicere instituimus; Conclusio, Valedictio dicta quomodo debet claudi? Ita ferè: Vale. Benè vale. Cura vt valeas. Valetudinem tuam cura diligentissimè. Da operam vt rectè valeas. Incolumem te seruet Deus O. M. Vale mi Arasine. Vale & benè age. Vale, & me, vt facis, ama. Aueto & me, vt cœpisti, amare pergito. Vale mi Mancinelle literarum decus. Vale mi P. Ludouice Riccie morum columen, aut rerum mearum præsidium: & familiares tuos, amicos vel meo nomine saluere iube; aut, plurimâ salute impertire. Cicero verbo Vale nihil addere consueuit. Veteres, si quid vel exciderat vel veniebat in mentem, vt adderent, sine præfatione id faciebant, rursus apponebant Vale. quòd si iterũ liberet quicquam adscribere, faciebant ad eundem modum, iterum, vel tertiò Vale.

Ante verbũ *Vale* quid solent apponere nonnulli? Semper insigne aliquod dictum, maximè Plinius in suis epistolis, quas ita concludit:

Scio quem animum, quod hortor ingenium, tu modò enitere, vt tibi ipse tanti sis, quanti videberis aliis, si tibi fueris. Vale.

Hæc tibi scripsi, quia æquum erit te pro amore mutuo non solùm omnia mea facta dictaque, verùm etiam consilia cognoscere. Vale.

Obsequar consilio tuo, cuius mihi auctoritas

pro ratione sufficit. Vale.

Satius enim est, vt Atilius noster eruditissimè simul & facetissimè dixit, otiosum esse, quàm nihil agere. Vale.

Voluptatem percipio, si ea quæ mihi denegantur, amicis video superesse. Vale.

Seriò peto, fac sciam quid agas, quod sine solicitudine summa nescire non possum. Vale.

Vt in cæteris rebus, ita in audiendi officio perit gratia, si reposcatur. Vale.

Sed hoc ipsum amantis est, non onerare eum laudibus. Vale.

Neque enim magis decorum & insigne est statuam in foro Populi Rom. habere, quàm ponere. Vale.

Solicitiùs custodiendus est honor, in quo etiam beneficium animi tuendum est. Vale.

De seruis venalibus meliùs auribus, quàm oculis iudicatur. Vale.

Erit confusioni meæ non mediocre solatium, si tu nihil quereris. Vale.

Sed iam finem faciam, ne modum (quem etiam orationi adhibendum puto) in epistola excedam. Vale.

Igitur memento nihil magis esse vitandū, quàm ista luxuriæ & sordium nouam societatem, quæ cùm sint turpissima, discreta, ac separata, turpiùs iunguntur. Vale.

Ostende modò velle te, nec deerunt qui, quod tu velis, cupiant. Vale.

In

In ſumma, niſi æquè longam epiſtolam reddis, non eſt quòd poſtea niſi breuiſsimam expectes. Vale.

Rogat enim & quidem efficaciſsimè qui reddit cauſas rogandi. Vale.

Sumus ſolito rariores, quod initium eſt gradatim deſinendi. Vale.

Habent hunc finem aſsiduæ querelæ, quod queri pudet. Vale.

Id elige, in quo vicerit ratio : à te enim ratio exigetur, nos excuſabit obſequium. Vale.

Trade filium præceptori, à quo mores primùm, mox eloquentiam diſcat, quæ malè ſine moribus diſcitur. Vale.

Hic erit epiſtolæ finis. literam nō addam, etiam ſi aliquid adhuc præteriſſe me ſenſero. Neque enim hi ſumus, quos vituperare ne amici quidem poſſunt, niſi & ſimul laudent. Vale.

Dedit mihi quantum maximè potuit, daturus ampliùs, ſi potuiſſet. Tametſi quid homini poteſt dari maius, quàm gloria, & laus, & æternitas. Vale.

Studeamus ergo, nec deſidiæ noſtræ prætendamus alienam : ſunt qui audiant, ſunt qui legant, nos modò dignum aliquid auribus, dignum chartis elaboremus. Vale.

Vt in corporibus, ſic in imperio grauiſsimus eſt morbus, qui à capite diffunditur. Vale.

Finem epiſtolæ faciam, vt facere poſsim etiam lacrymis, quas expreſsit epiſtola, Vale.

Hor-

Hortor, vt quàm plurima proferas, quæ imitari plures concupiscant, nemo, aut paucissimi possint. Vale.

Nescit semel incitata liberalitas stare, cuius pulchritudinem vsus ipse commendat. Vale.

Aliud est epistolam, aliud historiam, aliud amico, aliud omnibus scribere. Vale.

Dices oportere me tuis rebus, vt meis, vti. Etiam, sed perinde illis ac meis parco. Vale.

Nequando filium duriùs, acerbiúsque tractes, memineris te hominem etiam, & hominis patrem. Vale.

Conclusio seù Valedictio quibus constat? Personâ nimirùm Vale, Loco vt Romæ, Tempore vt III Kal. Nouembris 1649. Sic Datum Romæ. Scriptum Asculi vel ex Asculo. Et omisso verbo vel participio, ita simpliciter: Asculi vel ex Asculo. Item Ex ludo nostro litterario. Ex meo Musæo. Ex naui, &c. Item Octaua Octobris. Prima Nouembris. Et Postridiè Epiphaniæ, feralis diei. Primo Pentecostes. Natali Seruatoris, Virginis Matris, Ferijs S. Martini, Conuersionis Pauli. Possunt & his mensium diebus anni præmitti hoc modo, Anno à Christo nato vel passo. A nato Domino Iesu, ab orbe redempto, à Filio Dei incarnato, à partu Virginis. Millesimo sexcentesimo quadragesimo nono, vel Anno Messiæ quadragesimo nouo supra millesimum & sexcentesimum, Quarto Nonas Nouembrias vel Nouembris, Nocte intempesta, de media nocte, conticinio noctis, crepuscu-

pusculo diei, multò manè, bene manè, de medio die, horis vespertinis.

Quid cauendum in fine Valedictionis? Ne nomen tuum subscribas, nisi fortè ob nouè assumptum salutandi formulam, omiseris. Quod hodiè vulgo non obseruatur.

Extra Epistolam iam clausam, & signatam quomodo facienda est superscriptio? Nulla nostri nominis facta mentione, hac vel simili forma: Doctissimo apud Pisanos latinarum litterarum professori Paganino Gaudentio, amico singulari. Magnæ eruditionis & probitatis adolescenti Ruperto Nerlio Fratri optimo Romam. Philippo Nerlio Florentino nepoti clarissimo suauissimoque.

Nonne certo modo loci vocabulum, quem habitat is, cui scripsimus, in superscriptionibus annotari posset? Non; sed quouis modo id fiat, sufficit, vt patet; habitâ tamen semper ratione nominis localis, vt docet Donatus in sua Grammatica, exempli gratiâ: Romam ad ædem Sancti Ioannis Florentinorum. Studioso adolescenti Patauij bonis literis insudanti, vel, Probo negociatori Venetijs agenti.

An secundùm Rhetoricũ artificium pertineant ad rectam epistolarum compositionem Inuentio, Dispositio, & Elocutio? Ita. Non secus enim in Epistola, quàm in oratione Rhetorica, primùm per inuentionem excogitandum est quid sit scribendum: deinde curandum quomodo inuenta sint Disponenda: tertiò quomodo disposita sint aptis

ver-

verbis & sententijs eloquenda, satagendum est.

Cur non Epistolicam cum orationis artificio coniunximus? Tum quia illa ad hanc proximè accedit, tum etiam vt tu iam puer industrius discas ex paruis subinde grandiora tentare.

Quid est Inuentio Epistolaris? Excogitatio rerum scribendarum. Quæ apud Rhetorem consistit in excogitatione argumentorum verorum aut verisimilium, quæ probabilem quæstionem reddant.

Quid est Dispositio? Commodus eorum, quæ ex singulorum generum locis per inuentionem collecta sunt, tum verborum, tum rerum ordo, ad orationis perspicuitatem nō parùm conducens.

Vtrùm verborū ordo ad vnguem (quod aiunt) hoc est, ad plenum præceptis tradi possit? Non.

Quomodo hic verborum ordo apprehendendus est? Solâ doctissimè loquentium & scribentium sagaci obseruatione.

Quotuplex est Dispositio apud Rhetores? Triplex, Partium videlicet orationis, Locorum, & argumentorum, præcipuè eorum, quæ ex locis Confirmationis & Confutationis ad probandum vel improbandum sumuntur.

Vtrùm Ordo seu Dispositio partium fermè maneat idem, qui secundum naturam singulis generibus præscriptus est? Maximè.

Quomodo id fiet? Vt videlicet ab Exordio sequatur Narratio, si necessaria sit: deinde Propositio: post quam sequitur Confirmatio cui subiuncta sit, vel interiecta Confutatio. Pars nouissima semper Peroratio.

An

An contingat aliquando confundi tum in orationibus, tum in epiſtolis hanc partium diſpoſitionem? Maximè, & quidem datâ operâ, & non ſine Rhetorico artificio, vt videlicet pars Confutationis præcedat Confirmationem, ſeù alia naturâ poſterior præcedentem. Sed de his non eſt huius loci diſputare. Diſpoſitio quoquè locorum ipſam naturam ſequatur, aut illum ordinem, qui pro ſingulis orationis partibus eius præſcriptus eſt. Naturâ ſiquidem Pueritia præcedit Adoleſcentiã, Honeſtum Vtile, Voluntas Facultatem, & ſic de reliquis.

Curatne hîc magnoperè libertas Epiſtolica, vtrũ prius ductum ſit argumentum ab Honeſto, an ab Vtili, vel Delectabili? Nequaquàm.

Quod iudicium ferendum eſt de exemplis? Horum, ſi appoſitè adhibeantur, non tantùm in orationibus generis Deliberatiui, ſed etiam in epiſtolis pulcherrimus eſt vſus: vt ſcilicet primò loco extranea, deinde noſtratia, & ex his aliena, exinde peculiaria & domeſtica ponantur. Vt exhortari quemlibet ad ſtudium & laborem litterariũ, primùm ponamus exempla Græcorũ philoſophorum, oſtendendo quantis laboribus, ærumnis, vanitatibus philoſophiam apprehenderunt: dein Romanos ſeù Latinos Ciceronem, Virgilium, aliósque complures, oſtendendo nihil non pro eruditione conſequenda tentauiſſe, aut aggreſſos: dein ſi is, quem extimulare niteris, vel patruum habuerit, vel auum, vel nepotem, vel

[illegible]

fratrem, vel patrem, qui cum laude non sine labore docti euaserunt. Item si familiarem, amicum, æmulum, &c.

Quid est Elocutio? Idoneorum verborum & sententiarum ad inuentionem accomodatio: qua videlicet sub prima artis parte res inuentas verbis efferimus congruis, hoc est, Latinis, proprijs, puris, minimèque duris, sordidis, vel obsoletis, & quorum compositio (vt quidam ait) æquabilis, gratiosa, facilis, minimèque per concursum vocalium hiulca, aut per illisionem, seù immoderatum concursum, vel literæ R aspera sit: vel literæ M obtusa sit: vel literæ S sibilans vel blesa sit. Quæ præterea sententiæ dilucidæ, solidæ, & minimè triuiales sint, sed vel iustâ Latini sermonis, & propriâ phrasi, vel honestâ figuratione venustæ & elegantes sint. Quanquàm enim simplicitas, & proprietas tum verborum, tum sententiarum maximam, adeoque præcipuam adfert orationi venustatem, non parū tamen lucis & ornamenti superinduunt vel addunt ei Tropi & schemata, si per ea fuerit moderatè pro dicenda oratione variata.

Quod est munus Elocutionis? Vt doceat, quod necessitatis est: vt delectet, quod suauitatis est: vt flectat, quod victoriæ est.

Qualis ratio præcipuè consistit in Elocutione? Delectandi, & flectendi.

Quot habere debet in se Elocutio? Tria, Elegantiam, Compositionem, & Dignitatem.

Ex quibus constat Elegantia? Ex Latinitate, & Explanatione.

Quid

Quid est Latinitas? Quæ sermonem purum ab omni vitio tam barbarismi, quàm solœcismi remotum conseruat.

Quid est Explanatio siuè perspicuitas? Est quæ reddit apertam & dilucidam orationem. Quod fit verbis proprijs & vsitatis.

Quæ sunt verba propria? Sunt certa cuiusque rei sua, & penè vnà nata cum rebus ipsis.

Quæ dicuntur verba vsitata? Quæ versantur in sermone & consuetudine quotidiana.

Quid est Elegantia? Venusta verborum concinnitas, dulcem auribus sonum afferens. Sicut enim in corpore (inquit Clichthoueus) debita membrorum proportio adinuicem, vt vnum alteri aptè respondeat, illorumque ornatus & decentior cultus Elegantia est, sic in oratione pulchra dictionum adinuicem ordinatio, vniuscuiusque suo loco collocatio, Elegantia dicitur. Et sicut concordantibus neruis cithara dulci modulatione personat, & audientium animos magnâ capit dulcedine, sic oratio elegans & culta permulcet audientes & gratissimè illorum illabitur auribus. Ad orationis ergo elegantiam rectâ cuiusque dictionis constitutio requiritur, sicut ad placidam modulationem chordarum omnium concordia. Hinc Quintilianus lib 2. de institu. Orato. Sicut cithara, inquit, ita oratio perfecta non est, nisi ab imo ad summum omnibus intenta neruis consentiat. Et idem in IX. Felicissimus sermo est, cui & rectus ordo, & apta iunctura, cùm his numerus opportunè

tunè cadens contingit. Proinde nos ad cognoſcendum hunc dictionum in oratione aptiorem ſitum, ſequentes notandas ex auctoribus collegimus regulas, quarum:

Prima eſt, In oratione obliqui caſus primum ſibi locum vendicant rectis præpoſiti: & quæ in conſtructione poſteriora ſunt, ſitu priora; quæ verò priora in conſtructione, poſteriora in oratione collocentur: vt Virtus commendat ſuos cultores magnis præconijs: Sic elegantiùs, Magnis præconijs ſuos cultores virtus commendat. Potiùs verò itidem verbo, quàm aliâ quacunque dictione claudenda eſt oratio. Quintil. in IX. Verbo, inquam ſenſum claudere multò (ſi compoſitio patiatur) optimum eſt. In verbis enim Sermonis vis ineſt. Saluſt. Concordiâ paruæ res creſcunt, diſcordiâ magnæ dilabuntur.

II. Dictiones vniuerſales cùm affirmatiuæ, vt Omnis; tùm negatiuæ, vt Nemo, Nihil, Non aliquid, Neſcio, Ignoro, Nuſquam; Non vſquam, Nunquam, Non vnquam, eleganter in fine orationis ponuntur: vt Tuam virtutem mirantur omnes. Et Ter. Neſcio an quæ mihi dixit, ſint vera omnia. Quæ mihi iuſſeris, exequar omnia. Me tui amantiorem habes neminem. Virtute præclarius eſt nihil. Tui immemor ero nunquam. Qui tui amantior, inuenies nuſquam.

III. Nomen inſigne, quod nimirùm excellentiam & eminentiam ſignificat, vt Præclarus, egregius, eximius, inſignis, nobilis, illuſtris, generoſus,

præ-

præstans, excellens, ingenuus, &c elegãter ponitur in fine orationis: vt Quæ Alexander ille Magnus edidit opera, sunt præclara. Quis Iulij facta negauerit esse eximia? Virtutis pæconia sunt insignia.

IV. Aduerbia eleganter in fine ponuntur quibusdam, præsertim quæ qualitatem significant, vt diligenter, vigilãter, exactè, accuratè, familiariter, & cætera id genus. Ter. Faciam id equidem sedulò. Idem. Reiecit se in eum flens quàm familiariter. Te multos annos vsus sum familiariter. Alij verò eadem aduerbia qualitaris volunt in oratione indifferenter poni, pro scribentis arbitrio, vbi aptior eorum locus visus fuerit. Sed maximam afferunt orationi venustatem, quando stant iuxta verbum, quod determinant. Omnis enim determinatio propè suum determinabile locari petit: vt Me tuâ beneficentiâ benigniter subleuasti. Ille me hospitio humaniter suscepit. Aduerbia tamen suspensiua, quæ vno verbo non sunt contenta, vt completam faciant sententiam, sed duas saltem requirunt orationes, qualia sunt, Quum primùm, Vbi primùm, Quando primùm, Posteaquàm, Simulac, Simul atque, Donec, Dum, in principio debent poni: vt Quum primùm te sanum esse percepi, non mediocriter gauisus sum. Aduerbia itidem superlatiua in calce orationis aptè locantur: vt Tuæ voluntati parebo quàm libentissimè. Inter verbum autem & aduerbiũ sequens eleganter ponitur ista coniunctio, Et quidem: vt Tuo desiderio satisfaciam, & quidem libentissimè.

V. Adiectiuum elegantiùs præponitur ſubſtantiuo, non minùs in ligata, quàm in ſoluta oratione. Hæc regula intelligitur de adiectiuo nominali, vt ſincerus amor, ſumma beneuolentia, clarum ingenium. item de pronominali, vt tuus animus. Deniquè de participiali, vt ſpectata fides, laudata virtus creſcit.

VI. Inter adiectiuum & ſubſtantiuum venuſtè ponitur genitiuus, aut alius caſus ab adiectiuo ac ſubſtantiuo rectus: vt Magna virtutis claritas mirum in modum relucet. Firma amoris conſtantantia nullâ aduerſitate frangitur. Egregia Romanorum virtus vbiquè prædicatur.

VII. Inter adiectiuum & ſubſtantiuum in genitiuo caſu poſita eleganter ponitur accuſatiuus, aut alius caſus regens illius ſubſtantiui, vt Tui beneuolentiam animi haud ſatis laudare poſſum. Magnæ virum ſapientiæ cõmendare ſolent omnes. Hæc ſunt noſtri monumenta laboris. Hoc munus eſt ſynceri pignus amoris. Inſuper obſeruo, inter adiectiuum & ſubſtantiuum aliquando poni etiam pronomen, aliquando verbum, aliquando aduerbium, & ſic de alijs partibus orationis. vt Perpetuo tibi obſequio deuinctus ſum. Magno videtur honore dignus qui honorem parui facit. Quintil. in X. Pigri eſt ingenij contentum eſſe his, quæ ab alijs inuenta. Et in XII. Breuis eſt inſtitutio vitæ honeſtæ beatæque, ſi naturæ credas. Natura enim nos ad mentem optimam genuit, ideò diſcere meliora volentibus promptum eſt, vt intuenti mirum

ſit

fit illud magis, malos esse iam multos. Tuæ quidem voluntati moremgeram. Vera semper amicorum dilectio in aduersitate probatur. Magnum profectò laborem pro te cepi. Eâ de re certi nihil habeo. Est eadem regula de demonstratiuo pronomine, quod vim quandam adiectiui obtinet. vt Tuus ille singularis in me amor mihi profectò est gratissimus.

VIII. Licèt parùm seruetur, est. Quando oratio incipit ab antecedente obliquo, recto à verbo alterum verbum sequente, & post tale obliquum immediatè sequitur relatiuũ cum suo verbo, quasi parenthesi inclusum, eleganter verbum secundarium ponitur inter obliquum illum, & relatiuum, fitque verbum primarium, & verbum relatiui fit secundarium: vt Amicitiam (quæ summum est inter homines bonum) in primis laudo. Elegantiùs dicitur, Amicitiam in primis laudo, quæ summum est inter homines bonum.

IX. Si relatiuum positum fuerit in obliquo casu, venustiùs antecedens in relatiui casu positum postponetur. Et licèt illud antecedens mutatum in casum relatiui præponi posset, vt Ter. Eunuchũ quem dedisti nobis, quas fabulas fecit? eleganti ùs tamen postponitur antecedens suo relatiuo: vt Literæ, quas ad me dedisti, fuerunt gratissimæ. sic elegantiùs dicitur, Quas ad me literas dedisti, fuerunt gratissimæ. Neque in tali orationum genere est vllum grammaticæ vitium, immò maximus ornatus,

X. Si nomen ſubſtantiuum accuſatiui vel ablatiui caſus ponatur cum præpoſitione, potiſsimùm cum iſtis, ob, propter, ſecundùm, pro, & ſimilibus, elegantiùs mutabitur illa præpoſitio in relatiuum qui, quæ, quod, nominatiui caſus, eiuſdem generis cum nomine ſubſtantiuo caſualis prępoſitionis, & illud nomen ſubſtantiuum etiam in nominatiuum transferri debet, vt relatiuo in genere, numero, & perſona reſpondeat. Denique adiungendum eſt verbum ſubſtantiuum Sum, es, eſt, cuius hoc ſubſtantiuum erit ſuppoſitum: vt Secundùm benignitatem ſuam Chriſtus nos redemit. ſic elegantiùs dicitur, Quæ ſua benignitas eſt, Chriſtus nos redemit. Sic, Pro mea in te beneuolentiâ hoc te munere donare volo: ſic elegantiùs dicitur, Quę mea beneuolentia eſt, hoc te munere donabo.

XI. Relatiuum quod verbo primario additum eſt, ſæpius in ſecundarium transfertur: vt, Virgilius qui poëtarum doctiſſimus fuit, cæteros poëtas carmine antecellit. ſic elegantiùs dicitur, Virgilius poëtarum doctiſſimus fuit. qui cæteros carmine antecellit. Et, Cicero qui eloquentiſſimus fuit, cæteris Oratoribus in dicendo præſtitit: quod elegantiùs dicemus, Cicero eloquentiſſimus fuit, qui cæteris Oratoribus in dicendo præſtitit.

XII. Diuiditur in duas partes. Prima eſt, quòd adiectiuum inſigne & excellentiam denotans eleganter pro ſuo ſubſtantiuo poſtponitur cum pronomine Idem, Hic, vel Is, vel cum coniunctione Quidem: vt, Accepi ex te literas mihi gratiſſimas.

ſic

ſic elegātiùs dicitur, Ex te literas accepi & eaſdem mihi gratiſsimas. Cicero Orator eſt præcipuus. ſic elegantiùs, Cicero orator eſt & quidem præcipuus. Idque in omnibus adiectiuis quoque ſeruandū eſt,etiam non ſignificantibus excellentiam. Secunda pars, Aduerbium inſigne eleganter ſuo verbo poſtponitur, intercedente hac coniunctione Quidem: vt, Ioannes me amat ſingulariter. Sic elegantiùs, Ioannes me amat & quidem ſingulariter. Et hoc in omnibns aduerbijs qualitatis obſeruare operæprecium eſt: vt, Quæ tibi profutura cognoſcam, exequar & quidem diligenter.

XIII. Sicut in medio cri dicendi ſtylo, quo (quia facilis & leuis eſt) res familiares & pro temporis cōditione oblatas amicis ſcribimus, quoue in epiſtolis vtendum eſt, à re nuda priùs incipere oportet, deinde rudis oratio paulatim exornari debet, perinde atque pictores indigeſtam primùm figuram,& confuſa trahunt lineamenta, poſtea ſingulis membris ſuum addunt decorem,& ſingulis veriùs diſtinctiùſque efformant. Sic in ſtylo graui, ſublimi, altiloquo, & grandiloquo, quo res magnæ,& propemodùm diuinæ memorantur,& hic hiſtoriographis, aut diuina conſcribentibus peculiaris eſt, ab exornatu incipere debemus; in eo enim nihil dicendum, niſi cultum & ſeruatis elegantiæ regulis decoratum: vt, Nullus poſſet ſatis exprimere dignitatem veræ amicitiæ. Sic in ſtylo facili exornatur, Veræ dignitatem amicitiæ verbis conſequi poſſet nemo. In graui verò ſic, Sūmam veri amo-

ris dignitatem ne humana quidem lingua eloqui satis posset.

XIV. Genitiuus semper cæteris præponitur: vt, Romanorum virtus totius mundi imperiũ adepta est. meliùs quàm, Virtus Romanorum adepta est imperium totius mundi. Quintil. in V I I. Probi verò mores, & anteactæ vitæ integritas nunquàm non plurimùm profuerunt. Sic, Ob virtutis excellentiam, Pro animi tui beneuolentiâ, elegantiùs, quàm ob excellentiam virtutis, Pro beneuolentia animi tui. Idem dicendum de Ablatiuo à comparatiuo recto, inquit Sulpicius. Vnde rectiùs dices, Scipione clarius nihil est: quàm, Nihil est clarius Scipione.

XV. Nihil pulchrius, quàm si pro gerundijs vtemur gerundiuis nominibus. idque fiet, quum gerundium vel di, vel do, vel dum, à verbo transitiuo veniens ponitur in oratione Latina cum accusatiuo casu, ille accusatiuus elegantiùs mutatur in eum casum, cuius est gerundium, & gerundium in eundem numerum & genus, cuius est ille casus substantiuus, & ex gerundio cum suo apposito (est enim appositum gerundij obliquus post gerũdium rectus) cõstituetur oratio ex adiectiuo & substantiuo: vt, Homines nati sunt gratiâ acquirendi virtutem. sic elegantiùs, Homines virtutis acquirendæ gratiâ nati sunt, vel Homines acquirendæ virtuti nati sunt. Similiter. Ad consequendum artem exercitium est necessarium. sic elegantiùs. Ad consequendam artem, &c. Sic in componendis

episto-

epistolis breuitati studendum est. potiùs quàm in componendo epistolas. Gerundium quidem si nominatiui casus est, adiungitur verbo substantiuo, sequente præsertim datiuo, aut casu sui verbi: vt, Abeundum est, idest Debeo abire. Ouid. Vtendum est ætate, cito pede labitur ætas.

XVI. Cum Relatiuũ præsertim Qui, quæ, quod, duobus substantiuis diuersorum generũ, aut numerorum interponitur, quorum sequens fuerit proprium cuiuspiam rei nomen, relatiuum cum sequente semper conuenire debet, nec cum præcedente Latinè conuenire potest, Vnde illud Salustij tritum: Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur. Ly Tullianum non est adiectiuum possessiuum à Tullio, sicut est Tullianum opus, Tulliana oratio, sed est proprium nomen illius loci in carcere, inquit Ascensius Sic, Est vrbs in Venetia, quod Patauium appellatur, & non quæ. Est flumen apud Florentiam, qui Arnus dicitur, & non quod Arnus dicitur.

XVII. Si dictionis alicuius significationem augere volumus, Positiuis quidem siuè nomina sint, siuè aduerbia, dictio Per, vel Perquàm, vtraque pro valdè, iungi debet: vt, Pergratus est mihi tuus aduentus, vel Perquàm gratus est mihi de tua valetudine nuncius. Excipias tu aliquas dictiones positiui gradus, quæ, Per, non recipiunt in compositione, sed loco eius hanc præpositionem, Præ: vt, Præclarus, præclarior, præclarissimus: Præcelsus, præpotens, prægrandis, præditus. Augetur

etiam significatio positiui additione aduerbiorum significantium valdè, & hoc sine compositione, qualia sunt Admodùm, mirum in modum, maiorem in modum, apprimè, in primis, sanè, egregiè. Per, non est dubium, iungi cum verbis, si accipiatur pro eo, quo perficit actum verbi. Vndè dicimus, Persero, peruigilo, perdisco, perlego. Vel pro eo, quod est, per medium: vt, Perfluo, perluceo. Sed etiam pro valdè verbis præponitur: vt, Perplacet, vel perquàm placet, idest valdè placet, peruelim idest valdè velim, &c. Non dices, Omnes optimi, sed Optimus quisque. Sunt qui vetant, apprimè, verbis iungi: Nam apprimè placet, non probant. Iunguntur enim solis nominibus, vt apprimè vtile, in primis bonum.

Comparatiuis autem longè aut multò aduerbia adiungenda: vt, Virtus multò est dignior opibus, & rebus caducis longè præstantior. E diuerso valdè aduerbium positiuis & verbis adiungitur, non autem comparatiuis & superlatiuis: vt valdè sapiens, benè dicimus: non, valdè sapientior, nequè valdè sapientissimus. Præterea multò & longè iungũtur nominibus & aduerbijs diuersitatem significantibus: vt, Longè alia mihi mens est. Ter. Verùm multò aliter euenire intelligit. Ornatè etiam adduntur verbis excellentiam significantibus, qualia sunt Præsto, antecello, vinco, supero: vt, Cicero longè præstat cæteris eloquentiâ. Denique iunguntur & illis præpositionibus Ante, & post: vt, Multò ante te veni, longè post te recessi.

Su-

Superlatiuis autem Quàm pro valdè aduerbium iungendum est: vt, Quàm beatissimus est qui fluxas mundi diuitias contemnit. Ago tibi quàm maximas gratias. Quintil in X. Quàm maximum, silentium scribentibus maximè conuenire nemo dubitauerit. De huius aduerbij Quàm ordinatione quinque notandæ sunt regulæ. Prima est, Quàm pro valdè non adiungitur positiuis, nisi præcedant hæc aduerbia, sanè, admodùm, oppidò, nimis, valdè: vt, non dicimus, Quàm iucundus est mihi tuus aduentus, sed sanè quàm doctus, admodùm quàm suauis, oppidò quàm libens id feci idest valdè multùm libens. Nimis quàm improbus. Valdè quàm paucus. II. Quàm pro valdè superlatiuis venustè adiungitur: vt, Quàm plurima in me beneficia contulisti, & non complurima. E diuerso complura dicimus, & non quàm plura. III. Quàm pro quantùm positiuis & verbis pulchrè præponitur: vt, Quàm beatus forem, si mihi tecum viuere liceret Quàm gauderem, si te sanum esse intelligerem. IV. Quàm pro quantùm nunquàm iungitur superlatiuis, nisi sequatur hæc verba, Possum, valeo, queo: vt, Faciam hoc quàm optimè potero. Ter. in Eun. Nisi vt te redimas captum quàm queas minimo. V. Neque Quàm pro valdè vel pro quantùm comparatiuis adiungi potest: vt non rectè dicemus, Hæc mihi est res quàm gratior: neque, faciam quàm meliùs potero: sed bene, faciam quantò meliùs potero.

XVIII. Cùm nomen adiectiuum significans vtilita-

litatem vel damnum; honestum vel turpe: delectabile vel triste, adiungitur verbo substātiuo Sum, es, est, elegantiùs mutatur in suum substantiuum datiui casus: vt Hoc est tibi vtile, sic elegantiùs, Hoc est tibi vtilitati. Hæc res est mihi damnosa. sic venustiùs, Hæc res est mihi damno.

XIX. In rebus paribus Tùm vel Et geminatum ponimus. In imparibus verò Cùm & Tùm, sed Cū præponitur rei leuiori & minori, Tùm verò postpositum rei grauiori maiorique adijciatur. Res pares dicuntur, quæ eiusdem precij momentique apud homines censentur, vt diuitiæ & generositas si eandem apud homines æstimationem habent, pares dicuntur. Impares verò, quarum vna alteri dignitate & perfectione præstat, vt diuitiæ & virtus. Exemplum primi, Cicero tum eloquentia, tum virtute præstat. Eandem vim habet hæc coniunctio Et geminata ad duo adiectiua vel substātiua, eisdem æquè attributa: vt, Cato & virtute præditus & doctrinâ insignis. Vel, Cato & probus & doctus est. Æneas & fortis & pius fuit. Exemplum secundi. Cùm scientia tùm virtus expetenda est. Te mirificè amo cùm ob tuam in me humanitatem, tùm ob singularem vitæ probitatem. Significat illa oratio vitæ probitaten efficaciorem esse amoris causam, quàm humanitatem. Præterea cum aliquid vniuersaliter priùs explicatur, & deinde ad aliquid particulare oratio conuertitur, debet vniuersale adiunctâ dictione, Cùm, præcedere, & particulare additâ dictione, Tum,

se-

equi: vt, Cùm omnes amare debemus, tùm eos, qui de nobis benemeriti sunt.

XX. Aliquem si laudare aut vituperare voluerimus, tripliciter id facere possumus, aut cum genitiuo, quod magis Poëtarum est, vt Cicero vir est magnæ virtutis, acris ingenij, præclaræ indolis. Aut cum nominatiuo & ablatiuo: vt, Cicero vir est magnus virtute aut ingenio, præclarus indole. Aut cum ablatiuo solo, & hoc est splendidissimum & perpolitum, vt Cicero vir est magna virtute, acri ingenio, præclara indole.

XXI. Verbum infinitiuum regens accusatiuum post se, elegantiùs mutatur in participium præteriti temporis accusatiui casus eiusdem generis & numeri cum accusatiuo substantiuo: vt Hanc rem facere curabo rectiùs dicitur. Hanc rem factam curabo. Te exoratum velim vt me adiuues, idest exorare. Et contingit hoc potissimùm per hæc verba finiti modi, Curo, volo, oportet, habeo. Ter. Adolescenti morem gestum oportuit idest gerere. Huius rei te præmonitum habui. Aliqua tamen verba loco infinitiui habent accusatiuum nominis gerundiui in Dus, qualia sunt, Mando, loco, habeo, puto, duco, decerno, statuo, existimo. Virg. Threicio regi furtim mandarat alendum: Hanc domum habitandam locaui: Negocium difficile admodùm expediendum habui: Meam valetudinem tibi literis significandam duxi: Meos tibi successus pandendos existimaui: Hanc tibi fortunam aperiendam decreui, &c. At verò si hoc nomen Opus cum infi-

infinitiuo ponatur, mutatur eleganter verbum infinitiuum in ablatiuum singularem participij præteriti temporis in neutro genere sine substantiuo positum: vt, Quid opus est facere? pulchriùs dicitur, Quid facto est opus? sic Opus est tacito, pro tacere. Hinc illud Sallustianũ: Nam & priusquàm incipias, consulto: & vbi consulueris, maturè facto opus est.

XXII. Cum adiectiuum & substantiuum in eodem casu ponuntur, elegantiùs mutatur adiectiuũ in vocem substantiuam neutri generis, singnlaris numeri, nominatiui vel accusatiui casus, cuius prius fuit (in illis enim casibus hæc regula frequentiùs locum habet) & nomen substantiuum mutatur in genitiuum eiusdem numeri, cuius priùs fuerat: vt, Cato multam habuit sapientiam. sic pulchriùs dicitur, Cato multum habuit sapientiæ. Sic & in pronominibns primitiuæ speciei. Ter. Sed quid hoc negocij est? Id causæ est; quòd ad te non venerim. hoc est, Ea causa. Similiter in aduerbijs, Sat, satis, parùm, abundè: vt Consilij satis. Ouid. Sat rationis. Virg. Abundè ingenij & otij, & verborum Alexandro & Scipioni fuit, ex Au. Gell. Deniquè in hac dictione, Nihil, hæc regula tenenda est: vt, Nihil ad me litterarum dedisti, idest nullas. & ibi, Nihil est nomen significans non aliquid. Nihil quãdo etiam est aduerbium significans Non. Ter. Nihil circuitione vsus es. Ante omnia autem seruanda est ratio numeri illius genitiui; secũdum quem si fuerit singularis, tota oratio singulariter

expo-

exponetur: vt, Plurimum prudentiæ, ideſt plurima prudentia. Sin genitiuus pluralis fuerit, tota quoquè oratio pluraliter exponetur: vt, Multum verborum, multa verba ſignificat

XXIII. Quando idem adiectiuũ duobus ſubſtantiuis adiungitur, non eſt illud ad ſingulum eorum repetendũ, ſed in orationis principio ponendum, & ſubſtãtiua per particulam Tùm, aut coniunctionem Et, copulata, poſtponenda: vt, Alexander fuit magnus Rex, & magnus Imperator. elegantiùs dicitur, Alexander fuit magnus. & rex, & imperator. Illuſtris tum vir, tum philoſophus. Quòd ſi duobus adiectiuis idem ſubſtantiuum adiungatur, debet illud ſubſtantiuum prępɔni, & adiectiua per Et, vel Tum geminata poſtponi: vt, Orator & grauis & eloquens. Amicus tum bonus tum fidelis. Breuiter quando duæ dictiones rectæ eandem habent dictionem regentem, debent illæ geminato Tum vel Et copulatæ, ſuæ dictioni regenti ſemel tantùm poſitæ adiungi: vt, Et virtute & doctrinâ inſignis. Cicero tum ingenio, tum eloquentià valuit.

XXIV. Cum in oratione ponetur adiectiuum & ſubſtantiuum, à quo quidem adiectiuo poſſit formari ſubſtantiuum diuerſæ ſignificationis à priori ſubſtantiuo, tunc adiectiuum & ſubſtantiuum potiùs in duo ſubſtantiua vertenda ſunt, & coniunctione copulatiuâ connectenda: vt, Adoleſcentum probitatem & mores commendo.

XXV. Si nomini adiectiuo adiungatur gerundium accuſatiui caſus cum præpoſitione poſitum,

elegantiùs illud transfertur in vltimum supinum : vt, Hoc est facile ad dicendum, sed difficile ad faciendum. sic elegantiùs dicitur, Hoc est facile dictu, sed difficile factu.

XXVI. Cum nomen superlatiui gradus asperum, & prolatione durum occurrit, loco eius positiuum ipsius ponendum est cum aduerbio Maximè: vt, Memorabilissimum edidit facinus. meliùs dicitur, Maximè memorabile edidit facinus. Et præcipuè in comparatiuis itidem hęc regula obseruari operæprecium est: vt, Hoc negocium magis arduum est, quàm vt viribus meis suscipiatur pro arduius: magis tenue, pro tenuius.

XXVII. Dupliciter laudare vel vituperare aliquem possumus, aut mediocriter, aut vehementer. Mediocriter quidem laudantes aut vituperantes, causam laudationis aut vituperationis in ablatiuo cum istis verbis neutralibus, Clareo, polleo, valeo, floreo, emiço, præsto, & similibus ponemus: vt, Cicero in primis eloquentiâ claruit. Lucius Catilina coniuratione damnatus est. Si verò vehementer & impensè id facere volumus, laudationis aut vituperationis causam in genitiuum trãsferemus cum istis ablatiuis, si laudationis, Laude, gloriâ, decore, famâ, splendore: si vituperationis, Vitio, scelere, facinore, flagitio: vt, Cicero eloquentiæ gloriâ plurimùm valuit. Lucius Catilina coniurationis scelere damnatus est.

XXVIII. Quoties singularis & pluralis numerus connectuntur, respondemus viciniori: vt Virg.

Hic

Hic illius arma, Hic currus fuit: non autem fuerunt. Ter Amantium iræ amoris redintegratio est. Xenophon deliciæ meæ sunt. Hostes eorumque exercitus properabit. Idem fit in diuersis generibus. Nam siuè masculinum, siuè fœmininum est, vicino respondemus: vt, Vir atquè mulier optima ad me venit. Si verò plurali numero vti velimus, ad masculinum transire necesse est: vt, Vir & mulier læti properant. Alexander & Olympias clari extiterunt. Hic de substantiuis res animatas significantibus intelligitur. Quòd si duo substantiua rerum inanimatarum siuè eiusdem generis & numeri, siuè diuersorum, copulentur ad vnum adiectiuum pluralis numeri, illud debet in neutro genere poni: vt, Studiosus animus & vitæ probitas in adolescentibus commendanda sunt.

XXIX. Cùm comparatiuus in oratione rerum comparationem non significat, tunc stat loco positiui, & maiorem eidem orationi ornatum affert: vt, Sæpius ad te litteras dedi, idest sæpè. Hic ad me uerit tristior, idest tristis. Virg. Tristior & lacrymis oculos suffusa nitentes.

XXX. Subiunctiuus modus pro indicatiuo, & illius tempora pro huius temporibus non illepidè ponuntur: vt, Tibi persuasum esse velim, nihil mihi tuo amore gratius esse, idest volo. Sic gererem pro gerebam, dilexerim pro dilexi, fecissem pro feceram, fuerit gratum pro erit gratum, feceris pro facies. Idque apportunis locis agatur iuxta ... rium consuitationem.

XXXI. Cum

XXXI. Cum aliquod positiuum exornare volumus, cõtrario eius negationem præponamus tam in nominibus, quàm in aduerbijs: vt, Magno affectus sum gaudio: meliùs sic, Non mediocri affectus sum gaudio. Quintil. in II. Disertum præceptorem, prudentem quoquè & non ignarum docendi esse oportebit, submittentem se ad mensuram discentis: vt velocissimus quis si fortè iter cũ paruulo faciat, det manum, & gradum suum minuat, nè procedat vltra quàm comes possit. In aduerbijs: vt, Non parùm gaudeo, pro valdè. Non mediocriter te amo, pro multùm.

XXXII. Cum sequentibus ex centurijs in artis Oratoriæ progymnasmata Francisci Syluij. Comparatiuum & Superlatiuum substantiuo postpones elegantiùs, licèt nonnulli, inter quos est Valerius Maximus, diligenter parùm id obseruent: vt Cic. Quid T. Albutius? Numne animo æquissimo. Idem Cic. Cùm & honoribus amplissimis, & laboribus maximis perfuncti essemus. Et. Cùm quotidiè mecum haberem homines doctissimos.

XXXIII. Nomina ea, quæ numerum significant substantiuis eleganter postponuntur, quæ sermone quotidiano præponi solent. Plaut. Pluris est testis oculatus vnus, quàm auriti decem. Quintil. Sufficiebant alioqui libri duo à Domitio Afro in hanc rem compositi, quem adolescentulus senem colui. Cic. Chari sunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium charitates patria vna complexa est.

XXXIV. Adie-

XXXIV. Adiectiuum dissylabum substantiuo plurium syllabarum frequentiùs postponitur. Frequentiùs inquam, quia non semper magnis authoribus obseruatur; attamen cōcinnitatem multam habere senties aurium iudicium si non neglexeris. Quintil. Nec præceptor bonus maiore se turbâ, quàm vt sustinere eam possit, onerauerit. Sallust. Auaritia pecuniæ studium habet, quam nemo sapiens concupiuit: ea quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effœminat: semper infinita insatiabilisque est, nequè copiâ, nequè inopiâ rerum minuitur. Cic. Quis animo æquo videt eum, quem impurè ac flagitiosè putet viuere? D. Hieronymo non obseruatur, qui: Grandes, inquit, materias ingenia parua non sufferunt, & in ipso conatu vltra vires ausa succumbunt.

XXXV. Vox hæc Omnis post substantiuum locari postulat. D. Hieronymus. Vigilando timor omnis excluditur, fiducia nascitur, caro maceratur, vitia tabescunt, charitas roboratur, recedit stultitia, accedit prudentia, mens acuitur, error obtunditur, criminum caput diabolus gladio spiritus vulneratur. Ter. Matres omnes filijs in peccato adiutrices & auxilio in paterna iniuria solent esse. Corn. Celsus. Quadrupes animal omne, si lactans sit, minus alimenti præstat. Cic. Virtutis laus omnis in actione consistit: à qua tamen sæpè fit intermissio. Idem. Atquè ratio omnis dicendi tribus ad persuadendum rebus est nixa, vt probemus vera esse, quæ defendimus, vt conciliemus nobis

eos, qui audiunt, vt animos eorũ ad quemcunquè causa postulabit motum vocemus. Idem. Quid dicam de thesauro rerum omnium memoriâ? quæ nisi custos inuentis cogitatisq́ue verbis & rebus adhibeatur, intelligimus omnia, etiamsi præclarissima fuerint, in Oratore peritura.

XXXVI. Quòd Nullus post substantiuum non inelleganter collocari soleat. Cic. Maius mihi dare beneficium nullum potes. Idem. Sæpè videmus fractos pudore, qui ratione nullâ vincerentur.

XXXVII. Adiectiua, aliud, alterum, vtrunquè, solum, vllum, tale, & si qua sunt generis eiusdem substantiuis postponenda esse, legendis probis autoribus obseruamus. Quibus adiunge, Quoduis, quodlibet, totum, cætera, reliqua, aliaq́ue huiusmodi, quæ multitudinem significant: vt, Vires alienæ. Fortuna alia. Dictum vtrunque, &c. Au. Gellius. Multa nos quoquè apud veteres, scriptores locutionum talium copiam offendimus. Cic. Quid de nostris ambitionibus? Quid de cupiditate honorum loquar? Quæ flamma est, per quam non cucurrerint ij, qui hæc olim punctis singulis colligebant?

XXXVIII. Talis, aut tale, & alius, a, vd particulas venustè sequuntur Nemo, nullus, quisquàm, quispiam, quidam, nihil, quippiam, quicquam, aliquid, quiddam, & pronomina speciei prioris: vt Cic. Tales nos esse putamus, vt iure laudemur. Sic, Tale nihil de amico vnquàm putassem. Alias quasdã accepi litteras. Præterea concinniùs Omne

id,

id,& Vnum id dixeris cum Ter. & Cæcilio, & contra, vt Quintilianus, qui: Discipulos, inquit, id vnum moneo, vt præceptores suos non minùs, quàm ipsa studia ament, & prudentes esse non quidem corporum, sed mentium credant. Multùm hæc pietas confert studio.

XXXIX. Pronomen adiectiuum substantiuo suo frequenter aptè postponitur. Ter Munus nostrum ornato verbis, quoad poteris. Idem. Satietas me iam tenet studiorum istorum. Plaut. Homo hic ebrius est, vt opinor. Lucillus. Discere labora, ne res ipsa, ac ratio ipsa refellat. D.Hieronymus. Omnes enim homines vitijs nostris fauemus, & quod propriâ facimus voluntate, ad naturæ referimus necessitatem. Corn. Celsus. Beneficio tuo in scholam redeo. Quintil. Nec interest discentium, quibus quidque nominibus appelletur, dum res ipsa manifesta sit. Idem. Hippocrates clarus arte medicinæ videtur honestissimè fecisse, quòd quosdam errores suos, ne posteri errarent, confessus est. Val. Max. Ea demum tuta est potentia, quæ viribus suis modum imponit. Cic. Periucundæ mihi fuerunt literæ tuæ. Idem. Res ipsa parua, sed animi mei dolor magnus est. Hanc præceptionem obseruari semper ne putes: Nam Ter. Vnum etiam vos oro, vt me in vestrum gregem recipias. Postponuntur etiam composita cum quis: vt Plin. iunior: Longiùs me prouexit dulcedo quædam tecum loquendi. Quintil. Verecundia est timor quidam reducens animum ab ijs, quæ facien-

da ſunt. Cic. In animis omnium eſt ferè naturâ molle quiddam, demiſſum, humile, eneruatum, quodammodo & languidum, ſenile. Sed aliud nihil eſt in homine deformius.

XL. Nomina ſignificantia tempus in accuſatiuo caſu venuſtiùs ponuntur, vt Diem totum magiſtris operam das. Menſem vnum te expectaui. Plato. Ad literas pueri decennes proficiſcantur, ibique triennium inſiſtant. M. Cic. filius: Sum totos dies cum eo, noctiſque ſæpenumerò partem. Cic. Nemo eſt tam ſenex, qui ſe annum non putet poſſe viuere. Neque admodùm placet illa Nonij Marcelli differentia: Quoties, inquit, per accuſatiuum caſum annos vel dies loquimur, iuges annos vel dies vocamus: quoties per ablatiuum per interuallum interiectis aliquibus annis vel diebus. Nam cum tempus aliquod totum dicis, ſiue iuge ſit, ſiue per interuallum; accuſatiui quàm ablatiui maior eſt elegantia. ſed tum ablatiuo vti ſolemus, quum temporis partem dicimus. Vt ſi parte aliqua noctis ægrotaui, dicam: Valetudo mihi nocte familiaris non fuit. Ad te viſam anno proximo. Suetonius de diuo Auguſto. Non ampliùs, quum plurimum, quàm ſeptem horas dormiebat, nec eas quidem continuas. Ne tamen præceptionem hanc ita tibi obſeruandam proponas, vt ab ea diſcedendum non putes, nonnunquàm in ablatiuo nomen ſignificans tempus continuum inuenias poſitum. Plin. Nihil ſalutare eſt, niſi quod toto anno ſalubre. Ter. Quem ego hodiè toto non vidi die. Suet. de

diuo

diuo Tyberio. Biennio continuo post adeptum imperium pedem portâ non extulit.

XLI. Nomina tempus significantia additis numeris, vnum, duo, tria &c. in accusatiuo: additis primo, secundo, tertio in ablatiuo vsurpanda, vt Annos viginti Platonem Aristoteles audiuit. Vrbem Romam Senones Galli octo menses vastauere. Regis Alexandri equus Bucephalus vixit annos triginta. Post euersam Troiam anno centesimo sexagesimo, & annis totidem ante conditam vrbem Romam natus est Homerus. Plato anno ætatis suæ octogesimo primo mortuus est. Anno post vrbem Romam è Gallorum manibus recuperatam septimo natus est Aristoteles. Ex Platone. Pauciores annos, quàm sexaginta, natus non sit, qui secundùm sacras leges, diuinas res sufficienter tractaturus sit. Censorinus. Horarum nomen non minùs annos trecentos Romæ ignoratum esse credibile est. M. Cic. Duodequadraginta annos tyrannus Syracusanorum fuit Dionysius, quum quinque & viginti natus annos dominatum occupasset. Exceptio. Ciceronianum illud alienum est. Cum decimum iam diem grauiter ex intestinis laborarem. Huiusmodi nominibus præpositionem præponi inuenias, licèt id rarius sit, vt apud Gellium legimus, in decimo mense, & in vndecimo mense.

XLII. Substantiuum nomen syllabis multis factum in orationis principio vsitatè multùm collocetur. Arist. Annulorum ornatum Carthaginienses accipiunt pro numero expeditionũ, in quibus

militauerint. Cic. Commemoratio autem antiquitatis exemplorumq;ue probatio summi cum delectatione & auctoritatem orationi affert & fidem. Idem. Iracundia libidinis est pars. Sic enim definitur: Iracundia vlciscendi libido.

XLIII. Polysyllabum nomen substantiuum in fine orationis non minùs eleganter poni potest. Plin. iun. Recta ingenia debilitat verecundia, peruersa confirmat audacia. Quintil. Vulgo dicitur, scelera non habere consilium. Idem. Artem memoriæ primus ostendisse dicitur Simonides. Idem. Nihil est ad conciliandum gratius verecundiâ. Val. Max. Est illa vehemens, & constans animi militia, literis pollens, venerabilium doctrinæ sacrorum antistes philosophia. Cic. Est autem amicitia nihil aliud, nisi omnium diuinarum humanarumq;ue rerum cum beneuolentia & charitate summa consensio. Idem. Nihil laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate & clementiâ.

XLIV. Adiectiuum polysyllabum in principio orationis canorum est. Cic. Diuinus enim Plato escam malorum voluptatem appellat, quòd eâ videlicet homines capiantur, vt hamo pisces. Idem. Sapientis est carere patriâ, duri non desiderare.

XLV. Canora est collocata adiectiui syllabas multas habentis in fine orationis. Cic. Omnium societatum nulla præstantior est, nulla firmior, quàm quum boni viri moribus similes sunt familiaritate coniuncti. Idem Neque enim turpis mors forti viro potest accidere, neque immatura consulari, nec misera sapienti. XLVI. Col-

XLVI. Collocari potest & in principio,& in fine orationis vocabula in dus, in da, aut in dum, quæ necessitatem quandam significant. Cic. Videndum est primùm, ne obsit benignitas, & ijs, quibus benignè videbitur fieri & cæteris. Idem. Faciendum mihi putaui, vt tuis literis breuiter responderem. Idem. Habenda autem est ratio rei familiaris, quam quidem debabi sinere flagitiosum est. In fine Idem. Scientia, quæ remota est à iustitia, calliditas potiùs, quàm sapientia est appellanda. Idem. Breue tempus ætatis satis longum ad benè beatèque viuendum.

XLVII. Comparatiuum in principio & in fine orationis ponitur non inusitatè. Cic. Promptiores esse debemus ad nostra pericula, quàm ad communia. Idem. Orationem autem latinam efficies profectò legendis nostris pleniorem. Idem esto iudicium de Superlatiuis. Cic. Optimum autem & in priuatis familijs, & Rep. vectigal duco esse parsimoniam. Idem fit non lepidè parùm de voce, Omnis. Cic. Omnis autem & animaduersio & castigatio contumeliâ vacare debet. Et. Omnis enim peregrinatio, quod ego ab adolescentia iudicaui, obscura & sordida est ijs, quorum industria Romæ potest esse illustris. Idem. Aut nulla virtus est, aut contemnendus est dolor omnis.

XLVIII. Negatiua vocabula nonnunquàm haud illepidè & in principio & in fine orationis ponuntur. Cic. Neminem habeo chariorē, quàm reipsum. Et. Nihil autem amabilius, nec copulatius, quàm

morum similitudo bonorum. Et. Nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cuius mentem non imbuerit deorum opinio. Idem. Ego habeo cui plus, quàm tibi debeam, neminem. Et. Idem Cic. Quæ igitur ea cupiditas eius legis ferendæ, quæ turpitudinem summam habeat, gratiam nullam?

XLIX. Verbum modi fimiti multis syllabis constans non ineleganter ponitur in principio & in fine orationis. Cic. Delectant enim magnifici apparatus, vitæque cultus cum elegantia, & copiâ. Idem. Ego vos hortari tantùm possum, vt amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis.

L. *Esse videatur*, in orationis calce non infrequenter à Cicerone ponitur: adeò vt nosse se quosdam dicat Quintilianus, qui se pulchrè expressisse illud huius mirabilis in dicendo viri Mar. Tullij sibi viderentur, si in clausula posuissent, *Esse videatur*. Aqua orationis clausula Quintilianus ipse non abstinuit. Eius verba sunt. Si qua in his ars est dicentium, ea prima est, ne ars esse videatur. Cic. Sulpitius autem fortissimo quodam animi impetu, plenissima & maxima voce, summa contentione corporis, & dignitate motus verborũ quoque eâ grauitate & copiâ est, vt vnus ad dicendum instructissimus à natura esse videatur.

LI. Verbum Sum, es, est, ponitur eleganter in principio orationis. Ter. Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt, nec sunt. Quintil. Fuerit penè ridiculum, malle sermonem,

quo

quo locuti sunt homines, quàm quo loquantur. Cic. Est profectò animi medicina philosophia. Idem verbum substantiuum ponitur eleganter in fine orationis, si præcedat Comparatiuum aut Superlatiuum. Plato. Voluptas esca mali maxima est. Quintil. Hæc ipsa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora sunt. Idem. Senibus auctoritas maior est: quòd plura nosse & vidisse creduntur. Cic. Nullum theatrum virtuti conscientia maius est. Idem. Conscientia benè actæ vitæ multorumque benefactorum recordatio iucundissima est. Vsitatius est etiam hoc dicendi genus, vt post Comparatiuum aut Superlatiuum in principio idem verbum collocetur. Melius esse Aristippus dicebat, mendicum euadere, quàm imperitum. Plin. Validiora esse corpora, quæ frumentato pane aluntur. Quintil. Patentior est laboris natura pueris, quàm iuuenibus. Idem. Difficillima est grauissimi cuiusque sceleris fides. Cic. Miserrima est omninò ambitio honorumque contentio. Idem. Facilius est currentem, vt aiunt, incitare, quàm commouere languentem. Idem verbum in fine post substantiuum. Arist. Honor virtutis præmium est. Idem. Rectè dicitur, neminem benè imperare posse, qui non ipse priùs sub imperio fuerit. Ter. Omnium rerum vicissitudo est. Idem. Ius summum sæpè summa malitia est. Sallust. Idem velle, idem nolle, ea demum firma amicitia est. Cic. Ineuntis ætatis inscitia seuum constituenda & regenda prudentia est. Idem verbum collocatur vsita-

vsitatè multùm in principio & in fine post adiectiuum. Cic. Suauis est præteritorum malorum memoria. Idem. Deforme est, de seipso prædicare falsa præsertim, & cum irrisione audientium imitari militem gloriosum. Idem. Odiosum est, quum à prætereuntibus dicitur: O domus antiqua quàm dispari domino dominaris. D. Hieronymus. Experimento didici, asellum in via, quum lassus est, diuerticula quærere. Plin. iun. Præcipere, qualis debeat esse princeps, pulchrum quidem, sed onerosum, ac propè superbum est. Sall. Diuitiarum & formæ gloria fluxa atque fragilis est. Cic. Mihi videtur persalsum illud apud Næuium.

Quid ploras pater mi? Mirum ni cantem, qui condemnatus sum.

Idem Cic. Beati qui honorati sunt. Eleganter etiam collocatur idem verbum in fine orationis, si præponatur & nomen exiens in dus. da, dum, quod necessitatem significet. Plato. Pueri tanquam ludentes in disciplinis enutriendi sunt. Idem. In primis iuuenum cura suscipienda est, vt viri fiant quàm optimi. Quintil. Vt vasa oris angusti superfusam humoris copiam respuunt: sensim autem influentibus, vel etiam instillatis complentur: sic animi puerorum quantum excipere possunt, videndum est. Cic. Quæ enim videntur vtilia, honores, diuitiæ, voluptates, & cætera generis eiusdem: hæc amicitiæ nunquàm anteponenda sunt. Verbum idem haud illepidè ponitur in orationis principio post vocabula Nullus, nemo, aut nihil.

Cic.

Cic. Nihil est enim virtute amabilius, quàm qui adeptus erit, vbicunquè erit gentium, à nobis diligetur. Idem. Nulla fuit timoris significatio. Idem. Nemo est, qui hoc viri boni fuisse neget. In orationis medio collocatur idem verbum post Comparatiuum, superlatiuum, substantiuum, & adiectiuum. Cic. Ignoratio futurorum malorum vtilior est, quàm scientia. Idem. In omnibus malis acerbis est videre, quàm audire. Ter. Pudore & liberalitate liberos retinere satius esse credo, quàm metu. Catilina apud Sallustium. Semper in prælio ijs maximum est periculum, qui maximè timent. Audacia pro muro habetur. Ennius. Flagitij principium est nudare inter ciues corpora. Quintil. Error honestus est magnos duces sequentibus. Item particula Non ponitur non ineptè ante verbum Sum in fine orationis positum. Plato. Morbi, nisi periculosissimi sunt, pharmacis irritandi non sunt. Quintil. Mors misera non est: aditus ad mortem miser est. M. Cic. Pueris non omnem licentiam ludendi damus, sed eam, quæ ab honestis actionibus non sit aliena.

LII. Elegantem admodùm compones orationem, in qua aduerbium postpositum sit adiectiuo aut aduerbio quod factum sit ab adiectiuo: idq; ie ei si adiaceat, aut si præponatur. vt, Fida parùm amicitia est eorum, qui student auaritiæ. Eleganter multùm ad me scripsisti. Aliquantò es ad rem auidior. Cic. Facilius multò pro tua singulari prudentia iudicabis. Plutarchus. Paucis admodùm

dùm contingit, felices esse simul, & sapere. Plato. Difficile admodùm est reperire hominem ingeniosum simul, & præ cæteris mansuetum atque virilem.

LIII. Oratio non inuenusta ea est, in qua duo nomina cōparabilia vicissim sic se regant, vt quod fuerat positiuum genitiui casus rectum à superlatiuo, fiat superlatiuum, & regat illud prius superlatiuum in genitiuo absoluto. vt, Charorum mihi amicissimus es, & amicorum charissimus. Doctorum sapientissimus, sapientumque doctissimus. Perditorum sceleratissimus, & sceleratorum perditissimus. Cic. loquens de Q. Scæuola in libro de Oratore primo ait: Atque vt ego soleo dicere, iurisperitorum eloquentissimus, eloquentium iurisperitissimus. Non ita dissimile est illud eiusdem Ciceronis, quàmuis de duobus dictum sit; Crassus, inquit, erat parcissimus elegantium, Scæuola parcorum elegantissimus. Eleganter etiam cum adiectiuo substantiuum nomen ab adiectiuo factum, fit adiunctum, quod in adiectiuum redeat, & alterum adiectiuum substantiuum fiat. vt, Perfecta consummatio, consummataque perfectio. Erudita compositio compositaque eruditio. Hoc facere nō queas, nisi magna inter vtraque sit conuenientia.

LIV. Superlatiui à Comparatiuo recti in ablatiuo, aut alio casu significatus multùm augetur. vt, Felicissimo felicior es. Mihi amicissimus es: esses tamen amicior, si ad me scriberes. Cic. Vale igitur, mi Cicero, tibique persuade, te mihi quidem

dem esse charissimum, sed multò fore chariorem, si talibus monimentis præceptisque lætabere. Alia multa, quæ superlatiuo adiungi solent, de industria omittimus, propterea quòd ea & aliorum scriptis ignota non sunt, & à nobis suo loco in Donato nostro recensita.

LV. Particula Vel, adiuncta cum superlatiuo apud Oratores habet multùm venustatis. vt, Literę ad me tuę amicitię nostrę testes, mihi fuerunt, vel iucundissimæ. id est, non iucundæ solùm, sed etiam iucundissimæ. A. Gellius. Super hac quæstione tum ab alijs, sicuti dixi, multis, tum vel diligentissimè à Theophrasto disputatur. Cic. Fidibus Musicorum aures vel minima sentiunt.

LVI Particula Eò quòd, cum Comparatiuo posita dicitur pro eo, quod est præcipuè quia. vt, Litteræ mihi tuæ fuerunt eò iucundiores, quòd eis huc te venturum scribis. Hoc scribendum suscepimus eoque diligentiùs, quòd elegantiâ carere mihi visum non est. Plinius iunior, & Cicero pro eò dixerunt etiam hoc. Idem Cicero dixit etiã quia pro quòd, sed rarò. Quod eò magis miror, quia scriptum à discipulo eius Possidonio est, triginta annos vixisse Panetium, postquàm illos libros edidisset.

LVII. Pronomen Is, ea, id, non inusitatè dicitur pro relatiuo Qui, quæ, quod, cum ab alijs autoribus multis, tum maximè ab A. Gellio, & M. Cic. vt Litteras tuas recepi: ijs profectò supra fidem delectatus sum. Cic. Socratem fidibus docuit nobilis-

bilissimus fidicen, is Conus vocitatus est.

LVIII Is vel hic pro tali multam habent elegantiam. vt, Non is sum, quem contemnere debeas, idest non sum talis, vt tu me debeas contenere. Is fuit Cicero, cuius de laudibus sæculum nullum conticescet. Vel vt apud Ciceronem, Præsta te eum, qui mihi à teneris, vt Græci dicunt, vnguiculis es cognitus, idest præsta te talem, qualis à me es cognitus. Hoc dicendi genus non parùm familiare est ætatis nostræ Oratoribus.

LIX. Non scio, dicendum non esse, sed haud scio, aut nescio. Hinc Cic. lib. de Orat. Non scire, inquit, quiddam barbarum minimum haberi videtur: nescire dulcius. Sic Malle, & Nolle pro magis velle, vel non velle semper ferè dicuntur: Et elegantiùs Non quite, quàm nequire. Elegantissimè, Nec satis scio, T. Liuius.

LX. Dignitatis nomen aut officij nomini proprio elegantiùs præponitur. Sic Orator Cicero alijque ordinis eiusdem, sed in primis Valerius Maximus: vt, Pontifex Maximus Paulus Quintus. Imperator Ferdinandus. Rex Ludouicus. Cognomina etiam proprijs præposita non veteribus tantùm, sed etiam Politiano Angelo, alijsque recentioribus. Angelus Politianus: Caue putes Hermolaë, non diem dixerim, sed horam penè vllam præterire, in qua non ego de litteris, de prudentia, de consilio, de humanitate, de candore, de studijs denique tuis propè declamitem. Testis Medices Laurentius meus, hic Mirãdula Picus heroës, arbitror, duo,

duo, non viri. Sic Pompeius Marcus, apud Suetonium. Apollinaris Sulpitius, apud A. Gellium. Æmilius Paulus, apud Val. Max. Et Phalereus Demetrius apud Cic.

LXI. Inter prænomen & nomen; aut inter nomen proprium & cognomen aliquid interponitur. Angelus Politianus. Picus ipse Mirandula sacras omnes litteras enarrat. Idem. Marsilius noster Ficinus. Laurentius ipse Medices. Et apud Cic. Marcum verò Cethegum leges, &c.

LXII. Nomina singularis numeri, quæ collectiua dicunt, etiam in prosa oratione adiectiuis verbisque in numero multitudinis adiungi possunt. Licèt Grammatistarum multitudo putet, id poëtarum esse tantùm, non Oratorum, sed perperam. Nam A. Gell. In vestibulo ædium Palatinorum omnis ferè ordinum multitudo opperientes salutationem Cæsaris constiterant. Sallust. Vterquè graues inimicitias cum illo exercebant. Lege Val. Max. Varronem, Catonem, Plin.

LXIII. In citandis autoribus obseruatio. Quum quis auctor personam aliquã in opere suo loquentem inducit, si quid quod persona illa dicat, citare vis, personam autore memorato cites. vt, Lælius ille Ciceronianus. Phauorinus ille Gellianus. Homericus senex. Homericus Phœnix. Zethus ille Pacuuianus. Terentianus ille Chremes.

LXIV. Plenum genitiuo elegantiùs, quàm ablatiuo adiungitur sæpiùs apud veteres. vt, Plenus vini, eruditionis, perfidiæ, superbiæ, exemplorum, erro-

errorum, vnguenti, apud Cic.

LXV. Genitiuus hominum pro humano sæpè dicitur, vt, Genus, vita, mores hominum. Cic.

LXVI. Res gestæ, quàm gesta, dicuntur vsitatiùs. Cic.

LXVII. Aliquot dicitur elegantiùs, quàm quod vulgo dici solet, nescio quot. Cic. Accepi à te aliquot epistolas vno tempore, quas tu diuersis temporis dederas.

LXVIII. A verbis Deponentibus, aut Communibus non fiunt Impersonalia vocis passiuæ, quorum loco in sermone generali persona tertia numeri pluralis ornatiùs vsurpanda est. vt, Tantam esse amicitiam nostram, admirãtur. Cic. Virg. Plin. In Actiuis verbis idem potest retineri. vt, Dicunt, & dicitur: cœnant, & cœnatur: ludunt, & luditur. Cic. Et Xenophontis voce Musas quasi locutas ferunt.

LXIX Si quid, quàm si aliquid dici elegantiùs solitum est: vt, Si quas ad me dedisti litteras, redditæ non sunt Et Cic. Si quid ad me fortè scripseris, perficiam.

LXX. Contra pro è contrario eleganter ponitur Cic. & Gellio. At è contra à Plinio ferè vsurpatur.

Hìc esto præceptiuncularum collocandorum in oratione verborum finis.

Sed quia exempla seù paradigmata rudibus non minùs, quàm præcepta conducunt, vbi hæc potissimùm obseruanda? Apud Ciceronem, & Classicos. Apud Tullium inquam vt:

Com-

Commendatitiæ Epistolæ habentur lib. 1. Ep. 3. Aulo Trebonio. lib. 2. ep 5. Nondum erat auditum. lib. 2. ep. 13. Marco Fabio. lib. 3. ep. 1. Si ipsa Resp. lib. 6. ep. 9. Cum A. Cecinna. lib. 7. epist. 5. Vide quàm mihi. lib. 7. ep. 22. Silij causam. lib. 9. ep. 13. Caius Suberinus. lib. 11. ep. 4. Si de tua in me voluntate. lib. 11. ep. 5. Lupus familiaris noster. lib. 11. ep. 16. Permagni interest. lib. 11. ep. 17. Lamiâ vno omnium. lib. 11. ep. 22. Cum Appio Claudio. lib. 12. ep. 6. Qui status rerum. lib. 12. ep. 21. Caius Anitius. lib. 12. ep. 27. Sextus Aufidius. lib. 12. ep. 29. Non modò te.

Commendatitiarum responsiones. lib. 5. ep. 11. Grata tibi esse. lib. 15. ep. 14. Marcum Fabium.

Petitoriæ epistolæ. lib. 3. ep. 2. Cum & contra. lib 3. ep. 3. Ad XI. Cal. lib. 5. ep. 4. Literæ Quinti Fratris. lib. 5. ep. 9. Si vales, benè est. lib. 5. ep. 13. Coram me tecum. lib. 6. ep. 16. Si mihi tecum. lib. 11. ep. 2. De tua fide. lib. 11. ep. 4. Si de tua in me. lib. 15. ep. 4. Summa tua auctoritas. lib. 15. ep 7. Te & pietatis in tuos. lib. 15. ep. 10. Quando id accidit. lib. 15. ep. 13. Maximè mihi fuit. lib. 15. ep. 20 Oratorem meum. lib. 16. ep. 6. Variè sum affectus.

Petitoriarum responsiones. lib. 5. ep. 10. Si vales, benè est. lib. 7. ep. 20. Vide, quanti. lib. 12. ep. 7. Quanto studio.

Laudatoriæ epistolæ. lib. 9. ep. 6. Caninius noster. lib. 12. ep. 16. Si vales, bene est. lib. 16. epistol. 16. De Tirone mi Marce.

Monitoriæ epistolæ. lib.4. ep.15. Accepi perbreues. lib.6. ep.21. Dederam triduo. lib. 8. ep.6. Non dubito quin perlatum. lib. 10. ep. 3. Cum ipsum Furnium, lib. 14. ep.18. Considerandum vobis.

Monitoriarum responsiones. lib.7. ep.26. Quod epistolam consciſſam. lib. 10. ep.4. Gratiſſimæ mihi tuæ literæ. lib. 10. ep.7. Plura tibi de meis.

Lamentatoriæ, seu Conquestorię epistolę. lib. 14. ep.1. Et literis multorum. lib. 14. ep.2. Noli putare me. lib. 14. ep.3. Accepi ab Aristocrito. lib.8. ep.12. Pudet me tibi confiteri.

Iracundæ, vel Inuectiuæ epistolæ. lib.5. epist.1. Si vales, bene est. lib.12. epist.3. Auget furorem. lib.12. ep.23. Nos hic cum homine.

Iracundæ epistolæ responsio. lib. 11. ep. 3. Literas tuas legimus.

Consolatoriæ epistolæ. lib.4. ep.3. Vehementer te esse solicitum. lib.4. epist. 5. Posteaquam mihi. lib.4. ep.13. Querenti mihi. lib. 5. ep. 14. Si vales, benè est. lib.5. ep.16. Etsi vnus ex omnibus. lib.5. ep.17. Non obliuione. lib. 5. ep. 18. Etsi egomet, lib.6. ep.1. Etsi ea perturbatio. lib.6. ep.2. Peto à te. lib.6. ep.3. Superioribus literis. lib. 6. epist.4. Noui quod ad te scriberem lib.5. ep.5. Quotiescunque filium. lib.6. ep.10. Ego quanti te faciam. lib. 6. ep.13. Gratulor tibi. lib 6. ep.14. Etsi si tali tuo tempore. lib.6. epist.22 Etsi cùm hæc ad te. lib. 7. ep.3 Persæpè mihi cogitanti.

Consolatoriarum responsiones. lib.4. ep.6. Ego verò Serui. lib.5. ep.13. Quanquàm ipsa consolatio.

Gra-

Gratulatoriæ epiſtolæ, lib.2. ep.7. Sera gratulatio. lib.2. ep.9. Plurimùm tibi. lib.3 ep.11. Cùm eſſem in caſtris. lib.3. epiſtol.12. Gratulabor tibi. lib.6. ep.12. Dolabellam antea. lib.6. ep.15. Tibi gratulor. lib.8. epiſt.13. Gratulor affinitate. lib.9. ep.12. Gratulor Baijs. lib.9. ep.14. Etſi contentus eram. lib.12.ep.20. Libentiſſimè legi. lib.15. ep.5. Quod & Reſp. lib.15 epiſt.7. Te & pietatis. lib.15. ep.8. Maximâ ſum lætitiâ. lib.15. ep.9. Marcellum tuum. lib.15. ep.12. Etſi mihi nunquàm.

Gratulatoriarum reſponſiones. lib. 4. epiſt.14. Binas à te accepi. lib.15. ep 6. Lætus ſum.

Accuſatoriæ epiſt. lib.2 ep.10. Tu vide quàm. lib.3. ep.6. Cum meum factum. lib.5. ep.3. Hominis importuniſſimi. lib.8. ep.15. Ecquando tu hominem. lib.16. ep.26. Verberaui te.

Excuſatoriæ ſiuè expurgatoriæ epiſtolæ. lib. 2. ep 1. Quanquàm me negligentiæ. lib. 3. epiſt.7. Pluribus verbis. lib.5. epiſt.2. Si tu, exercituſque tuus. lib.5 ep.20. Quoquo modo. lib.6. ep.7. Quod tibi non. lib 7. ep 28. Miror, cur me accuſes. lib 9. ep.5. Mihi verò ad Nonas. lib.10. ep.2. Meum ſtudium. lib.10. ep.35. Si vos, liberique veſtri. lib.11. ep.2. De tua fide. lib.11. ep.27. Nondum ſatis. lib.11. ep.28. Magnam voluptatem. lib.12. ep.18. Quod extremum fuit. lib.14. epiſt.17. Si quid haberem.

Excuſatoriæ epiſtolæ reſponſio. lib.4 ep.4. Accipio excuſationem.

Suaſoriç ſeù hortatoriç epiſtolæ. lib.2. epiſt.18.

Officium meum ergà. lib.4 ep.1. Caius Trebatius. lib.4. ep.7. Etsi eo te. lib.4. ep.8. Neque monere. lib.4. ep.9. Etsi perpaucis. lib.4. ep.10. Etsi nihil noui. lib.5.ep.19. Etsi mihi nunquam. lib.5.ep.21. Gratæ mihi. lib.6. ep 8. Cum esset mecum. lib.6. ep.12. Dolabellam, lib.7. ep 6 In omnibus meis, epist.9. Iam diù ignoro. ep. 11. Nisi ante Româ. ep.32. Facilè perspexi. lib.8. epist 16. Exanimatus sum. lib.10. ep.3 Cùm ipsum Furnium epistol.5. Binas à te. ep.10. Etsi satis. ep.12. Etsi Reip. ep.14. Gratam famam. ep.16. Nihil post epist.27. Quod mihi. lib.11. epist.5. Lupus familiaris. ep.7. Cùm adhibuisset. ep.9. Pansâ amisso. epist.12. Tres vno die. ep.15. Etsi mihi. ep.20. Quod pro me. ep.23. Nos hic valemus. lib.12. ep. 6. Qui status. ep. 10. Lepidus. ep.24. Ego nullum locum. lib.16. ep.25. Etsi iusta.

Suasoriæ responsio: lib.4. epist.11. Plurimùm valuisse.

Dissuasoriæ seù Dehortatoriæ epistolæ. lib.5. epistol.14. Si vales, benè est. lib.6. ep.19. Maculam officio. ep.23. Non ea res. lib.7. ep.21. Amabilior. lib.8. ep.5. Quæ tu curâ. lib.10. ep.6. Quæ locutus est. epist.25. Si interest. ep.26. Lectis tuis. lib.15. ep.5. Quod & Resp.

Nunciatoriæ epistolę. lib.10. ep.8. Si cui fortè. Ep.21. Puderet me. lib.12. ep.24. Omnem conditionem. lib. 14. ep.15. Si vales, bene est. Ep.19. In maximis meis. Ep.23. Si vales, bene est. Ep.24. Si vales. Et lib. 16. ep. 12. 13. 14.

Eucha-

Eucharisticæ epistolæ. lib.10. ep.11. Immortales ago gratias. Epist.20. Ita erant omnia. lib.15. ep.11. Quantæ tibi curæ meus honos.

Eucharisticarum responsiones. lib. 2. epist. 18. Officium meum. lib.10. ep.19. Quanquàm gratiarum actionem.

Iocosę epistolę. lib. 1. epist. 10. Cur enim tibi. lib.7. ep.6. Ego te commendare. Ep. 10. Legi tuas literas. Et Ep. 12. 13. 14. 15. 16. 33. lib.8. Ep.7. Quàm citò. lib 9. ep. 10. Non sum ausus. Ep. 16. Delectarunt. ep. 18. Cum essem. Et Ep.19. 20. 21. 23. 24. 25. 26. lib. 12. Ep.21. Gratę mihi. lib.15. ep. 16. Puto te iam.

Indicatiuæ, seù Compositæ, vel Mixtæ epistolę. lib.10. ep. 14. Gratam famam. lib. 11. ep.15. Etsi mihi tuæ. lib. 12. ep. 31. Itane pręter. lib.19. ep.2. Noli putare. Ep.4. Accepi. Ep.4. Ego minus. ep. 5. Si tu. Ep.6. Nec sæpè. epist.7. Omneis molestias. ep. 8. 12. &c. lib. 15. ep. 1. & 2. Si vos bene valetis. ep.3. Cum ad me. ep. 18. Longior epistola.

Didacticæ, seù Dialecticę, hoc est, Disputatorię epistolę. lib.7. ep. 23. Illuseras heri. lib.9. ep.4. Περὶ δυνατῶν me scito. Et ep.22. Amo verecundiã.

Ex Plinio lib. 1. epist. 20. Frequens mihi disputatio.

Ex Angelo Politiano. lib.2 epistol. quę incipit: Ostendet plenum. lib. 2. Dictata tua illa. lib. 3. Irasceris obtrectatoribus. lib. 5. Et tu mihi. lib. 9. Ego quidem mi Hermolaë. lib. 12. Quantoperè me semper.

Sic etiam à Platone de Philosophia scribitur ad Dionysium, & alios, à Seneca ad Lucilium, à Hieronymo, Ambrosio, & Augustino, & Cypriano de rebus sacris ad varios. Citantur Catonis Censoris, & multorum Iurisconsultorum libri de quæsitis, aut responsis per epistolam.

Trade iudicium Ioannis Ludouici Viuis Valentini de Auctoribus circa epistolas scribendas. Ciceronis epistolæ, inquit ille, amissæ quidem multæ, sed multæ & in hanc vsque ætatem reseruatæ, in quibus præter verba, & dictiones, quibus vir ille cæteros omnes Scriptores Latinos duntaxat tanto post se interuallo reliquit, plurimum inest & ad res publicas & ad priuatas iudicij ac prudentiæ.

Senecæ epistolæ volumina sunt de philosophia.

Accomodatior ad vsum Plinius Cæcilius eorum præsertim quæ de negotijs priuatis, aut Rep. ferè succinctus, & festiuus, & facetus, & acutus, & frequens concinnis sententijs, doctis atque acutis ingenijs mirificè est aptus.

Tertullianus durus nempè Afer.

S. Augustinus etiam, qui Afer, mollior; sed minus tersus, ac comptus.

D. Hieronymus ardens & vehemens, vt videatur semper ad iudices dicere de causa capitali.

S. Ambrosius lenior, ac placidior, aliquot interdum locis subturbidus.

Symmachus nec magnitudine rerum ac genere sermonis potuit conseruare famam posterorum.

Sidonius Apollinaris Aluernas obſcurus, perplexus, fauorem iudiciorum nec conſecutus eſt, nec meretur.

Franciſcus Petrarca prolixus ac pleriſque locis moroſus, difficiliſque, & multum trahens ex rubigine ac ſitu ſuorum temporum.

Duo Philelphi Tolentinates Piceni pater, & filius ſententijs inanes, nec compoſitione ſatis gratâ.

Pius II. Pont. qui & Æneas Syluius, naturâ fęlix, infelix arte.

Sabellicus vbique copia & facilitate & iucunditate ſui ſimilis.

Pomp. Lætus Romanæ puritatis adeò ſtudioſus, vt nec Græcè quidem ſcire voluerit.

Ioannes Picus, & Angelus Politianus magni, huius verba facilè complectaris atque exoſculeris: illius non poſsis non probare: ille ſententiarum pondere & ſanctitate dictionis excellens: hic acumine & feſtiuitate amabilis.

Hermolaus Barbarus diſciplinarum cognitione ſine vlla prorſum comparatione excultior, quàm Politianus, ſed duriuſculus & perplexus.

Marſilius Ficinus dictione inuenuſta & moleſta.

Epiſtolis Franciſci Pici etſi minus terſis, quàm Patrui, magis tamen deeſt genus, quàm dictionis elegantia, vel ſententiarum pondus.

Chriſtophorus Longolius nimiâ curâ, imitatione bonam naturam corrumpit. Verba ſunt Ciceroniana. Senſus eſt ineptior, propterea dicta gran-

dia rebus exiguis aptabat. Exprimit totum Ciceronem.

Hactenus de Epistolis, quæ prophanæ dicuntur. Nunc breuiter de Ecclesiasticis ex libris Francisci Bernardini Ferrarij.

DE ANTIQVO

Epiſtolarum Eccleſiaſticarum genere Breuiarium.

QVÆ, & quot, quibuſue nominibus nuncupatæ ſunt Epiſtolæ Eccleſiaſticæ? Hæ numerantur, licèt vna & eadem varijs & pluribus nominibus dicatur interdum, videlicet;

Abſolutoriæ,
Amicæ,
Canonicæ,
Captiuorum,
Catholicæ,
Circulares,
Clericæ,
Commendatitiæ,
Commonitoriæ,
Communicationis,
Communicatoriæ,
Communionis,
Conciliatrices,
Concordiæ,
Confeſſionis,
Confeſſoriæ,
Confeſſorum,
Decretales,
Dimiſſoriæ,
Encyclicæ,
Expoſitionis,
Expreſſoriæ,
Formatæ,
Generales,
Memoriales,
Orbiculares,
Pacatæ,
Pacificæ,
Pacis,
Paſchales,
Priuatæ,
Reuerendæ,
Reuerentiales,
Siſtaticæ,
Solemnes,
Synodales,
Synodicæ,
Teſtimoniales,
Tractatoriæ,
Tractoriæ,
Tranquillitatis.

Aqui-

A quibus exordiendum? Ab illis, quas Græci Canonicas, Latini Formatas vocarunt, tanquam antiquioribus & principalioribus.

Ex quo Canonicæ siuè Formatæ fuerunt epistolæ appellatæ? Ex eo, quod iuxta certos ac determinatos Canones, & sub Regulis quibusdam solemnibus, siuè formis, quales solent apponi in publicis instrumentis & edictis, statuerunt Patres vt conciperentur, ac formarentur. Ex Zonara ad Can.42. Synodi Laodicenæ, & est apud Atticum Constantinopolitanum Episcopum ad finem Chalcedonensis Concilij.

A quibus & Vbi excogitatæ & iuuentæ fuerunt Canonicæ siuè formatæ Epistolæ? Ab illis trecentis decem,& octo Patribus in Nicæna Synodo congregatis. Ex eodem Attico.

Si in Nicæna Synodo excogitatæ fuerunt epistolæ hæ, cur nulla earum in illius canonibus mentio fiat. Quia canones illi (plures enim quàm viginti eos fuisse certissimum est) per summam Arianorum fraudem ac malitiam vel compressi vel igne consumpti fuerunt. Ita testantur Athanasij, & aliorum Aegyptiorum Episcoporum literæ ad D. Marcum Papam datæ. Extat hæc epistola, sicut & Marci Rescriptum inter opera Athanasij.

Exempla Formatarum vbi habentur? Apud Iuonem in decreto 6 parte de causis Clericorum. cap.434 Apud Burchardum 2. decretorum suorum lib cap. 227. Vide etiam Gratianum in suo Decreto prima parte, distinct. 73. cap. 1.

Quot

Quot potissimùm colliguntur fuisse olim à Patribus in huiusmodi Epistolis conscribendis accuratè ac diligenter obseruata? Nouem. Primum est, adhibita semper fuisse prima elementa Græca Patris, & Filij,& Spiritus Sancti, hoc est π, υ, α hoc modo, In nomine π, Patris, & υ, Filij, & α, Spiritus Sancti. Secundum, primam literam principis Apostolorum, Petri, nimirùm π Tertium, primam literam Episcopi Formatam exarantis. Quartum, secundam literam eius, ad quem scribebatur. Quintum, tertiam literam deferentis epistolam. Sextum, quartam literam loci, ex quo Formata dabatur. Septimum, numerum Indictionis anni illius, quo literę scribebantur. Octauum, terminatam semper fuisse epistolam voce hac, ἀμήν Nonum demum, characteres hosce omnes in vnũ collectos, ordineque distributos ad finem cuiusque epistolę tanquam numerorum notas positos semper fuisse.

Canonicę seù Formatę ad quas genus sunt? Ad Communicatorias, Dimissorias, Commendatitias, & Pacificas. Hę igitur epistolę sub Canonicis seù Formatis tanquàm sub genere continentur.

Communicatorię, quę à Latinis interdum Communicationis, Communionis interdum literę, à Græcis τὰ κοινωνικὰ γράμματα fuerunt non semel appellatę, quęnam dicebantur? Eæ, quibus muniti olim Christi fideles quicunque peregrinaturi, Catholicos se ac Catholicâ proinde Communicatione dignos vbique terrarum probabant, & quatum

rum commercio vniuersę Christi Ecclesię vnitas seruabatur, ac monstrari solebat.

Communicatio Catholica quid olim fuerit in Christi Ecclesia? Nihil aliud, quam indiuiduæ vniuersę Christi Ecclesię vnio, seù vinculum concordię in vna fidei consensione inseparabiliter cohęrentis inter Ecclesię caput, Romanum videlicet Pontificem, ac membra, hoc est, vniuersos Christi fideles. S. Cyprianus ep.45. & lib. de Vnitate Ecclesię. D. Aug. ep.163. Optatus Mileuitan. lib.2. aduersus Parmenianum.

Quotuplex olim Communio? Triplex, videlicet in Conuictu, in Precibus, & in Sacramento. Communio in Conuictu ea dicebatur, qua Christianis licebat Sanctorum Fratrum conuictu ac consuetudine vti. Communio in Precibus, qua in fundendis ad Deum precibus solemnibus, votisque pijs, communis erat Christi fidelibus conuentus. Per Communionem demum in Sacramento liber patebat Catholicis accessus ad Eucharistię Sacramenti vsum ac participationem.

Quid igitur Communio fuit? Non impedita aut Conuictus, aut communium Precum, aut Eucharistię Sacramenti participatio.

Vndè habetur triplex ista Communionis Forma? Ex Niceph. lib.13. cap.11. vbi sic de Chrysostomo loquitur: *Ille viros*, nempe Isidorū, Dioscorum, & alios à Theophilo ex Aegypto pulsos, *benignè acceptos in honore habuit*, Ecce Communionem in Conuictu, *& ad communes in Ecclesia preces*

ces adhibuit, ecce Communionem in precibus, *ad Diuinorum aut mysteriorum Communionem non admisit*, ecce tandem Communionem in Sacramento indicatam. Meminerunt etiam Socrates lib.6. cap.9. Sozomen. lib.8. cap.10. Metafrastes in vita Chrysostomi.

Vbinam indicatur, Peregrinaturos quoscunque Christi fideles, siuè Clericos, siuè Laicos necesse olim habuisse ab Episcopo vnumquemque suo literas Communicatorias accipere, quò tanquam Catholici, & Catholica Communicatione digni liberè possent, ac sine erroris periculo in aliena plebe communicare? Non obscurè in Can. 7 Concilij Carthaginen. primi. Et Can. 52. Concilij Agatensis. Similiter Can. 25. Concilij Elyberini. Deniquè ex D. Augustino epist. 163. ad Eleesium & Socios. Et supra epist. 162.

Ob quam causam Romani Pontifices, vt Gelasius Papa Primus epistol. ad vniuersos Dardaniæ Episcopos datâ, electionem suam Episcopis omnibus Communicatorijs significabant, & vice versa Episcopi omnes Romano Pontifici electionem Cõmunicatorijs gratulabantur? Ad Ecclesię Catholicę vnitatem probandam. Cuius moris meminit etiam Cyprianus ep. 42. ad Cornelium Pontificem Romanum.

Dimissoriarum quotuplex nomen? Multiplex. Greci ἀπολυτικὰς nominarunt ἀπὸ τοῦ ἀπολύειν quod est dimittere, Iurisconsulti libellos Dimissorios, Apostolos, & Reuerentiales. In Concilio Tridentino

tino sess. 7. cap. 10. Reuerendę vocantur.

Dimissorię quę? Erant illę, quę ex Antistitis voluntate ac dimissione ostendebant, vel Laicum, vel Clericum, vel Episcopum in alienam Diœcesim transiturum; Laicum quidem, vt inibi ordinaretur; Clericum, vt vel ordinaretur, vel ordinatus sacrificaret, vel in alienę Ecclesię cathalogum referretur; Episcopum demum vt aut longiùs peregrinari posset, aut ad Comitatum, hoc est, Regem vel Imperatorem proficisci. Patet ex plerisquè Conciliorum Canonibus. Dimissoria appellatur etiam Absolutoria, vt in Commentarijs (qui Grecè ac Latinè M.S. asseruantur in Bibliotheca Ambrosiana) Matthęi Blastaris vertit Interpres anonymus. Et interdum Expressoria, Expositio interdum dicitur Dimissoria, vt Balsamon ad Canonem 26. Carthaginensis Synodi tertię ex Herueti interpretatione.

Commendatitias seù Commendatorias, quas etiam Conciliatrices, Testimoniales, seù Viaticum appellabāt, ob quot causas tribuebant antiquitùs Episcopi? Ob tres. Primò tradebant peregrinaturis quibuscunque siuè Clericis, siuè Laicis, vt huiusmodi epistolis tanquam Hospitalitatis tesserâ muniti, vbiquè terrarum ab æquè Catholicis benignè exciperentur hospitio. Deinde Clericis ad eorum ordinationem comprobandam ac declarandam. Postremò ignotis hominibus, aut suspectis, vt eos, vel notos redderent, vel iniustè accusatos, criminèue solutos, vel pœnis tandem libe-

liberatos ostenderent. Vide Collectorem Canonum Apostolicorũ Canone 32. Tertull. lib de Præscriptione aduersus Hæreticos cap. 20. D. Greg. Nazianzenum orat. 1. in Iulianum. Sozomenum lib. 5. c. 15. Nicephorum lib. 10. c. 21. Paulum Diaconum Histor. Miscell. lib. 11. in Iuliano. Blastarem ad Canonem 33. Apostolorũ. Balsamonem ad Canonem II. Synodi Chalcedonensis, & alibi. D. Paulum ad Corinthios ep. 2. cap. 3.

Pacificæ literæ, à Græcis εἰρηνικαὶ dictæ, quæ? Dicebantur eæ, quibus Episcopi pauperibus iniquè oppressis, ceterisque quoquomodo auxilio indigentibus, eaque de causa ad Ecclesiam confugientibus pacem adferebant, ac conciliabant. Chalcedonensis Concilij Canone II. ita cõstitutum fuit, *Omnes pauperes, & qui auxilio indigent, cum examinatione, & Epistolis, seu Pacificis Ecclesiasticis viam ingredi statuimus.* Hunc Canonem explicans Blastares. *Pauperibus*, ait, *qui ad Ecclesiam accedunt, auxiliumque precantur, Pacificas Epistolas dari oportere dicit.* Idem ad eundem Canonem dicit Zonaras: *Qui igitur quoquomodo præsidio indigebant, iis literæ ab Episcopis tradebantur, opem auxiliumque afferentes, & Pacificæ vocabantur, quasi Pacem conciliantes iis, qui ob Principum iracundiam, vel potentiorum libidinem iniquo iudicio damnabantur.* Hinc refutatur Pacificarum, seu Pacis literarum descriptio allata à Francisco Turriano viro docto lib. 3. pro Epistolis Pontificum cap. 4. quibus asserit Romanam

num Pontificem approbare Ecclesiarum, ad quas eas mittebat, fidem, communionem, ac societatem: & licèt pro se citet Tertullianum lib. aduersus Praxeam cap. 1. dicimus solùm Pacis nomine Pacificas illas fuisse à Tertulliano appellatas; reipsa tamen Communicatorias esse, vt consideranti patet. Pacificæ nuncupatæ sunt etiam Amicę, Pacatæ, & Tranquillitatis literæ, Vnitiuum, Conciliatrices, Concordiæ, ac Pacis literæ. Ex D. Athanasio epistolâ ad solitariam vitã agentes. Ex Euagrio lib. 3. cap. 13. & 14.

Tractoria quid apud I C? Tractoria fuit primò Iuris vocabulum, diplomata, seù literas publicæ euectionis præbitionisque significans; quæ nimirùm dabantur missis, vel euocatis ab Imperatore, vt & cursu publico vti possent, & statiua haberent, hoc est diuersoria, & mansiones, in quibus sumptu publico alerentur. Barnabas Brissonius de verb. signific. verb. Tractoriæ, Iacobus Cuiacius ad tit. 51. lib. 12. Codic. Iustinian. & alij. Hinc extat, vt refert idem Cuiacius, fragmentum cuiusdam edicti, seù potiùs epistolæ Constantini Magni, in qua (vides huius Imperatoris quasi lumen elucens, humanitatem ac pietatem) non Catholicis tantùm, sed Donatistis etiam, hoc est, Schismaticis Episcopis Tractorias concedi à Proconsule iubet.

Quænam Tractoriæ Ecclesiasticæ Epistolæ? Eæ dicebantur, quibus Primates, seù Metropolitani, Episcopos suos ad Synodum euocabant, & veluti rahebant, & quarum ostensione in singulis Pro-

uinciæ

uinciæ Ecclesijs benignè excipiebantur ijdem Episcopi, ac Christiana charitate fouebantur. D. Augustinus lib. ad Donatistas post Collat. cap. 24. & Epist. 217. Eusebius lib 10. Hist. Eccles. cap. 5. Concilium Meldense capit. 71.

Nunc à Tractorijs transeamus ad Tractatorias, quę cũ vocabulo non dissimili nominentur, errandi plerisque ansam prębuerunt. Ergo Tractoriarum Epistolarum genera quot fuerunt? Duo apud veteres Ecclesię Scriptores reperiuntur. nam aut excusatorię erant, aut denunciatorię seu declaratorię. Primi generis eæ dicebantur, quibus Episcopi ad Concilium per Tractoriam euocati excusationem Primati suo afferebant, cur Cōcilio adesse non possent. Si quis etenim ex euocatis Episcopis aut senectute, aut valetudine, aut alia graui necessitate impeditus ad constitutā diem tempusque Concilio adesse non poterat, is tenebatur impedisui rationem omnē in Tractatoria Primati exponere. Conci l. Carthaginen. 5. cap. 10. & African. sub Bonifacio, & Cęlestino cap. 43. Secundi generis Tractatoria, diuersa planè, erat illa, qua Episcopi publicè denunciabant, seu declarabant, hunc vel illum excommunicatum esse, aut damnatum, obidque admonebant eos, ad quos scribebant, vt ab illius commercio cauerent. D. August. concione 2. in Psal. 36. & epist. 162.

Cardinalis Baronius tom. 2. ad ann. Christi 142, doctissimè quidem, sed nimium ipsi vocabulo inhęret, dum dicit, Tractatoriam epistolam illam

 fuisse,

fuisse, qua quid de aliqua re gestum esset, Episcopi alios reddebant certiores.

Paschales Epistolę, à Cassiano Collatione 10. cap. 1. Solemnes etiam appellatę, quænam? Erant eæ, quas singulis annis, vel Episcopus Alexandrinus Romano Pontifici, vel Pontifex Romanus vniuersis Ecclesię Episcopis dabat ad certum Paschalis Festiuitatis diem patefaciendum. Porrò autem id operis ac muneris Alexandrinę Ecclesię Episcopo fuit assignatũ, quia supputationis peritia Aegyptiorum maximè propria est. S. Ambrosius ep 83. lib 10. S. Leo epist 64. ad Martianum Augustum.

Paschalis futurus dies cuiuslibet anni quo die in singulis Ecclesijs denunciabatur à Diaconis Populo inter Missarum solemnia? Sacro Ephiphaniorum die. Synodus Aurelianensis quarta Can. 1. Quod Paschatis denunciandi Epiphaniorum diem institutum nunc etiam retinent multę Ecclesiæ, Mediolanensis maximè, quippè quę veteres Ecclesiasticos ritus semper obseruauit.

Encyclicę Epistolę, quas Latini, tum Circulares, tum Orbiculares appellant, quę dicebantur? Eæ, quę ad omnes Christifideles in rebus, aut fidei, aut Ecclesiasticę disciplinę dabantur, vel à Synodo, vel à Summo Pontifice, vel à quocunque alio. D. Clemens Pont. Rom. huiusmodi literas exarauit, vt ab Epiphanio Hęresi 30. refertur. Exararunt etiam S. Pius Primus, Constantinus Imperator, Gregorius Septimus, &c. Oecumenius in suis ad Epistolam Iacobi commentarijs appellat illas

se-

ſeptem epiſtolas Sanctorum videlicet Iacobi, Petri, Ioannis, & Iudæ Catholicas, hoc eſt, vniuerſales, ſeù generales, *quaſi* (inquit) *Encyclicas; non enim ſeparatim gentem vnam, aut ciuitatem, quemadmodũ D. Paulus Romanos aut Corinthios, his epiſtolis alloquitur talium Domini Diſcipulorum ſacer Chorus*, Iacobus nimirùm, Petrus, Ioannes, & Iudas, *ſed in vniuerſum Fideles omnes, &c.* S. Epiphanius ad D. Hieronymum ſcribens Generalem appellauit.

Decretales epiſtolæ quænam fuerunt appellatę? Eæ, quibus Romani Pontifices, aut aliorum Conſultationibus reſpondebant, aut aliquid ſeruandum vitandumue decernebant. Prioris generis Decretales ſunt eæ, de quibus meminit Gelaſius in ſuo de Apocryphis ſcripturis Decreto; & eæ, quibus Vigilius Papa Eutherij Conſultationibus reſcribit & Nicolaus Primus ad Bulgarorum conſulta reſpondet. Alterius verò generis ſunt eæ, quę Decretales inſcribuntur, tribus tomis collectæ, & iuxta Pontificum ac temporum ſeriem diſtributæ ac collocatæ. Et ſanè in his grauiores declarantur cauſæ, Catholicę fidei dogmata ſtatuuntur, damnantur Hæreſes, Eccleſiaſtica Iura decernuntur, abſoluuntur iniquè damnati, atque ea ferè omnia, quæ ad vniuerſę Eccleſię politiam pertinent, in ijs reperiuntur.

Synodicæ, ſeù Synodales Epiſtolæ quæ? Illæ cõmuniter dicebantur, quas Synodus quacunque occaſione exarabat. Separatim autem illæ Syno-

dicæ fuerunt nuncupatę, per quas aut Pótifex Romanus ad Pontificatus fastigium primò euectus rectę fidei Formulam Patriarchis, ac Metropolitanis,aut ipsi Patriarchę, ac Metropolitani recens creati Catholicam fidem apud Romanum Pontificem profitebantur, eiusque causas cum eodem conferebant. Ex Gelasio Primo Pontifice Sanctissimo & Sapientissimo in epistola ad Laurentium de Lignido Episcopum. Ex Gregorio lib.5. epist.64. ad Anastasium Presbyterum. Vndè harum epistolarum genus hoc certissimum est, scituque, ac cognitione dignissimum, quo Patres vniuersi, qui in Synodum aliquam conuenerant, Canonum à se sancitorum confirmationem à Romano Pontifice deposcebant. Etenim Ecclesiastico iure traditum fuit, ac obseruatum semper, vt Decreta Synodica tantum roboris haberent ac firmitatis, quantum eis Apostolica Sedes auctoritate sua impertiret, *Ad Romanum* si quidem *Pontificem*, vt inquit Photius Constantinopolitanus ad Nicolaū primū scribens, *pertinet confirmare, & authenticam facere Synodi sententiam*.

Clericæ epistolę quęnam? Erunt eæ, quas Romanus Clerus Sede Apostolica vacante subtracti Pontificis onera sustinens pro quocunque Ecclesiastico negotio exarabat. Ex Cypriano epistol.4. ad Romanum Clerum. De Cleri Romani cura, & onere pastorali erga Catholicam Ecclesiam per totum orbem diffusam, sublato eius capite vide Baronium tomo 8. ad ann. Christi 639. & plura

pas-

passim idem de eadem re in ijsdem Annalibus.

Confessoriæ, seù Confessionis, aut Confessorum literę quænam dicebantur? Quas olim Confessores lapsis dabant, quò possent ab Episcopis Pacem impetrare; iusque Communicationis recuperare. Ex Concilijs Eliberitano seù Eliberino, & Arelatensi.

Quinam erant isti Lapsi? Qui aut sacrificauerunt Idolis, aut necessitatem sacrificandi pecunia apud magistratum redemerant, accepto ob id etiam Securitatis libello à Confessoribus, hoc est ab ijs, qui *persecutionis tempore* (sunt verba Cypriani ep. 5.) *gloriosà voce Deum confessi in carcere detinebantur*, literas exorabant, quibus pacem ab Episcopis acciperent, iusque Communicationis recuperarent. Ex Tertull. lib. ad Martyres cap. 1. & Cypriano ep. 10. 11. 12. & alibi.

Hęc Pax, istudque Communicationis ius quid? Non aliud videtur fuisse, quàm relaxatio pręscriptæ satisfactionis per Episcopum lapso impositæ, atque ad Ecclesiæ communionem ante expletum constitutę pœnitentię tempus ob Confessorum cōmendationem admissio. Ex eisdem Patribus, & Concilijs. Ex quibus colligitur, stare non posse, quod doctissimus Garsias Loaysa ad Concilij Spalensis 2. caput septimum scribit, Confessarias literas eas fuisse, quę Confessoribus, vt munere suo possent fungi, dabantur.

Priuatæ literæ quæ? Quas Catholicis Episcopis aut ad Hereticos, aut ad Schismaticos, aut etiam

ad Paganos dare licebat. Ex D. Augustino ep. 162, ad Glorium, Eleusium, Felicem, & Socios.

Cur Priuatæ literæ, ita fuerunt appellatæ, cùm essent quidem publicæ: publicè enim ab omnibus eas legi cupiebat S. Augustinus maximè ad Donatistas scribens? Quia eis publica Catholicæ Communicationis Symbola, pacis nimirùm, salutis, ac benedictionis, non licebat apponere.

Captiuorũ literæ quæ fuerunt nuncupatæ? Quas Episcopi pro Captiuorum redemptione exarare consueuerunt. Ex Concilio Lugdunensi 2. cap. 2 D. Greg. tomo 2. Epistolarum Decretalium.

Commonitoriæ seù Memoriales literæ quæ dicebantur? Quibus Legati, alijue Nuncij, quid in suscepta legatione deberent agere; per singula admonebantur. Ex Concilio Africano can. 98. Vincentio Lirinens. aduersus profanas Nouatorum Hęreses. Huiusmodi literæ fuerunt etiam vnico vocabulo Cõmonitorium appellatæ à S. Cyrillo ep. 1. ad Successum Isauriæ Episcopum, à D. Augustino ep. 129. & 158. & à Sidon. Apoll. lib. 8. in carmine ad Lamprid.

Per Epistolæ Inscriptionem quid intelligitur? Totum id, quod Epistolæ de more præmittitur, Nomina videlicet, ac Salutatio.

In Nominibus quid fuit vsu receptum apud omnes tam sacros, quàm profanos Scriptores? Vt in ipsa epistolæ fronte bina semper ponerentur, Scribentis & Accipientis, proprio præposito, etiamsi ad digniorem scriberetur; ob eam fortasse ratio-

nem, quòd prima legentis cogitatio ea eſt, ac deſiderium, ſcire à quo ſcripta epiſtola. Quamquàm veteri more abrogato, is deinde inualuit, vt honoris gratiâ alienum præponeretur.

Quid inſuper olim, maximè naſcentis Eccleſiæ primordijs in nominibus religiosè obſeruatū eſt? Vt ea nuda, abſque ornatu, ac ſine blandientibus Titulis adhiberentur. Quemadmodùm Symmachus lib 3. ep.44 ad Siburium ſcribens teſtatur his verbis, *Vis, vt Epiſtolis noſtris more Maiorum nuda nomina præferantur?* Sic D. Cyprianus ijs literis, quas ad Cornelium, Lucium, & Stephanum Pontifices Romanos dedit, proprio tantùm nomine eos compellat, hoc modo: Cyprianus Cornelio Fratri ſalutem. Et cōtra, Cornelius Cypriano Fratri ſalutem. Excipiuntur tamen Dignitatis, Profeſſionis, ſeù muneris, ac officij Tituli, quos Nomini adijcere conſueuit Antiquitas. Ita ipſi Confeſſores, hoc eſt, ij, qui perſecutionis tempore in carcere ob Chriſtiani nominis Confeſſionem detinebantur epiſt. 17. Vniuerſi Confeſſores Cypriano Papæ ſalutem. Quod Papæ nomen antiquitùs Epiſcopis omnibus erat commune, vt patet ex Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, Rufino, & alijs.

Sed cur procedente tempore Papæ nomen Romano tantùm Pontifici tributum ſit? Quia Schiſmatici in odium eiuſdem Romani Pontificis ſuperbè ſibi nomen illud vindicabant; & ideò Gregorius huius nominis Septimus collectâ Romæ Synodo id in primis conſtituit, vt Papæ nomen vni-

uerſo Chriſtiano orbe, vniquè Romano Pontifici tribueretur. Ex Baronio in Notis ad Martyrologium ad diem 10. Ianuarij.

Tituli quandonam apud Eccleſiaſticos in ſcribendo adhiberi cœpti? Poſtquàm Conſtantinus Chriſtianam Religionem palàm profeſſus eſt, paxque reddita eſt Eccleſiæ. Nam Diuus Hieronymus non tantùm Damaſum Romanum Pontificem, *Dominū* ac *Beatiſſimum* appellauit, ſed & Diuum Auguſtinum, à quo ipſe viciſſim *Dominus* & *Sanctiſſimus* fuit nuncupatus. Concilium Calcedonenſe Actione 3. appellauit Leonem Pontificem Romanum, *Archiepiſcopum vniuerſalem*. Cõſtantinus Auguſtus Imperator *Patrem Patrum* nuncupauit S. Sylueſtrum Papam. Gregorius quoque Nyſſæ quondam Epiſcopus appellari ſolitus fuit in Concilio Nicæno 2. ſeſſ. 5. *Pater Patrum*. Sidonius quoque lib. 6. ep. 1. Lupum Tricaſſinum Epiſcopum *Patrem Patrum* appellat, & *Epiſcopum Epiſcoporum*. Nunc verò hic vltimus titulus peculiaris eſt vnius Romani Pontificis. Card. Baronius tom. 2. ad ann. Chriſti 216. Sic etiam *Pontifices Maximi* & *Summi Sacerdotes* appellati fuerunt quicunque Epiſcopi. Ex D. Auguſt. queſt. 10. ex vtroque mixt. & Tertull. lib. de Baptiſmo c. 17. Deinde ſolus etiam Pontifex Romanus inſignitur titulo Pontificis Maximi, Summiq; ue Sacerdotis, & Beatiſſimi atque Sanctiſſimi; Cæteri Epiſcopi *Reuerendiſſimi*, aut *Venerabiles* dicuntur. D. Gregorius ſeptimus *Seruum Seruorum Dei* vocauit;

vt

vt ex Ioanne Diacono lib. 2. cap. 1. scripsit etiam M. Marulus lib. 1. cap. 5. de humilitate appetenda tom. 1. in hæc verba. Veruntamen quid Abbates Monachosue tantoperè miramur? Ipse Summus Pontifex Gregorius primus se Seruum Seruorum Dei appellauit, ac ne dictu id illi, quàm facto facilius fuisse putes, aduenienti Ioanni Abbati assurrexit, & prior honoris gratiâ in terram prouolutus est Pontifex, quàm Abbas. Cæteri deinde Maximi Pontifices nomenclaturę istius titulum omnes vsurparunt, opus rari. Omnes se Seruos Seruorum Dei dici, pauci esse voluerunt etiam qui imitari neglexerunt. Hac inscriptione vsi sunt etiam alij Episcopi, vt D. August. ep. 107. *Augustinus Episcopus*, inquit, *Seruus Christi, & per ipsum Seruus Seruorum ipsius, Vitali Fratri in ipso salutem*. Peccatoris titulum proprio nomini subijciebant interdum Episcopi scribendo: vt *Domino Illustri Codulpho Desiderius peccator*. Vide epistolas B. Petri Damiani Cardinalis à Domino Constantino Caietano Ordinis S. Benedicti viro eruditissimo ac meo quondam in Vrbe fausto, felici, fortunatoque Mecœnate editas, & aliorum.

Quomodo pij Veteres salutem impertiebant? D. Paulus, ac cæteri Apostoli Pacem cum Gratia optabant salutantes, hoc modo: *Gratia vobis, & Pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo*. Et 2. ad Thessalonicen. 3. *Salutatio, mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola: ita Scribo. Gratia Domini Nostri Iesu Christi cum omnibus*

vobis. Amen. Græci Patres præfigebant olim epistolis suis *Salutem in Domino.* S. Augustinus suos de Trinitate libros ita exorsus est, *In Nomine Domini susceptum opus aggredimur.* Iustinianus Imperator suis Institutionibus illud dedit initium, *In Nomine Domini nostri Iesu Christi, &c.* Quam consuetudinem nos quoque nunc passim in condendis testamentis vsurpamus. Crux olim in Epistolarum, aliorumque Scriptorum fronte prænotabatur: sic Leo IX. Pontifex Maximus suam orditur epistolam, † *Leo Episcopus seruus seruorum Dei Gunderadæ dilectæ in Christo filiæ, &c.* Ampliùs consueuerunt Veteres, Christi nomen scriptis non rarò præfigere, ijs elementis X. P. expressum. Videtur Romæ in Inscriptionibus. Aliquando etiam additum *A, & Ω* A *Alpha, & Omega*, idest principium, & finis, qui est Christus omnium Actionum ac Rerum. vt Apocalypsis cap. 1. & 22. Latini Patres ita salutabant, *Salutem in Domino*, aut *Salutem in Domino Deo*, aut simpliciter *Salutem*. Vsurparunt etiam pro salute, Fœlicitatem, Benedictionem, Consolationem, Gaudium, Obedientiam, Obsequium, Dilectionem, Orationis munus, Deuotionem, Charitatis vinculum, Pacis osculum, & alia huiusmodi. Cletus Romanus Pontifex, omnium primus, salutans tribuit *Apostolicam Benedictionem*, seù *Gratiam*. Polydorus Virgil. de Inuention. rerum lib. 8. c. 2. & Gilbertus Genebrard. in Chronologia lib. 3. ad ann. Christi 93. Quam consuetudinem deinde ab

eo mutuati reliqui Pontifices retinuerunt. Pręclara denique est illa in scribendo salutandi formula, dignitati Pontificiæ maximè consentanea, iam inde ab Innocentij tempore communiter, etiam à Principibus recepta, vt venerationis causâ *Pedum osculatio* præscribatur. Vladislaus Rex Poloniæ Ioanni Pontifici ita scribit: *Sanctissimo Domino Ioanni Diuinà prouidentià Sacrosanctæ Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ* Summo *Pontifici, Vladislaus Rex Poloniæ deuotus filius ad pedum oscula beatorum.* Eduardus Rex Angliæ ann. 1343 Clementem salutat in hęc verba: *Sanctissimo Patri ac Domino Domino Clementi dignâ Dei prouidentiâ Sacrosanctæ Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifici Eduardus Dei gratiâ Rex Angliæ deuota pedum oscula beatorum.*

Clausula Epistolæ cuiusmodi erat? Eiusmodi communiter: *Vale*. D. Petrus pro clausula ep. 1. cap 5. habet, *Salutate inuicem in osculo sancto*. Sic D. Paulus ep. ad Rom. cap. 16. & 1. Corinthiorum 16. & alibi. Hoc eodem modo clausit epistolam S. Ignatius scribens ad Tarsenses, & ad Antiochenos. Eadem est salutatio *in Christo Iesu* cum salutatione *in osculo sancto*. S. Paulus ad Philippenses cap. 4. Ijdem honorum tituli sub finem epistolæ iterati sunt, qui fuerant initio positi. Augustini epistola 12. ad Hieronymum illud habet initium. *Domino charissimo, & desideratissimo, & honorando in Christo Fratri Hieronymo Augustinus.* Sub finem autem, *Memor nostri exaudiaris*

ris à Domino in omni sancto desiderio tuo, Domine charissime, & desideratissime, & honorande in Christo Frater. Hieronymi epistola 18. ad Augustinum sic incipit, *Domino verè sancto & beatissimo Papæ Augustino Hieronymus*. Eadem sic terminatur, *Incolumem te, & memorem mei Christus Deus noster tueatur omnipotens, Domine verè sancte, & beatissime Papa.* Crucis signo in hanc formam † terminabantur interdum epistolæ, vt ex Leonis ep. 9 ad Gunderadam Mangoldi Comitis filiam perspicuum fit.

Quid demum addebant Veteres ad epistolas? Horarum interdum momenta tam diei, quàm noctis: notatum diem, mensem, annum, & locum.

Quibus perferendæ tradebantur Ecclesiasticæ Epistolę? Non quibusuis, sed certis, iisque probatis hominibus. Sic D. Paulus, vt pręclarè adnotauit Baronius tom. 1. ad ann. Christi 60. Tychico omni virtutum genere cumulato viro, Tabellario non semel vsus est, vt ad Colossenses cap. 4. & ad Ephesios 6. Quin etiam Tabellariorum munere nonnisi Ecclesiastici viri fuerunt olim in Ecclesia perfuncti, vt ex Cypriani epistola 24. Hic missurus literas Romano Clero, & cùm abessent Clerici, quibus id erat officij assignatum, nouos creare ad id muneris obeundum, necessarium duxit; vndè & Saturum ordinauit Lectorem, & Optatum Subdiaconum. Mos idem in vsu etiam fuit temporibus Augustini & Hieronymi.

Quæ partes requirantur in perfecto Ecclesiasti-

co,

co Tabellario? S. Augustinus epist. 10. ad S. Hieronymum pulcherrimè eas expressit: *Ex quo cœpi, inquit, ad te scribere, aut tua scripta desiderare, nunquàm mihi melior occurrit occasio, quàm vt per Dei seruum, ac ministrum fidelissimum, mihique charissimũ, mea tibi afferretur epistola, qualis est filius noster Cyprianus Diaconus. Per hunc certè ita spero literas tuas, vt certius in hoc rerum genere quicquam sperare nõ possim: nam nec studium in petendis rescriptis memorato filio nostro deerit, nec gratia in promerendis: nec diligentia in custodiendis, nec alacritas in perferendis, nec fides in reddendis.* Hactenus Augustinus.

Ex quibus petenda phrasis, hoc est eloquentiæ Ecclesiasticæ corpus, siuè dicendi modus? Ex Patribus. Atquè hæc de conscribendis Ecclesiasticis Epistolis satis.

DE

DE DIALOGO.

DIALOGVS est disputatio plurium, interrogationem, mutuamque responsionem continens. vel,

Dialogus est sermo ex interrogatione & responsione compositus, de ijs rebus, quæ vel philosophiam, vel Reip. partes attingant, cum decorâ congruentique personarum, quę induuntur, expressione accurataque verborum compositione. Ex Laërtio Diogene lib. 3. in Platonis vita.

Dialogus dicitur à verbo græco διαλέγομαι, quod est disserere, seu disputare. Hinc Cicero epistol. Fam. lib. ad Lentulum, Dialogum disputationem interpretatur. Malè igitur affirmarunt quidam, Dialogum sermonem esse inter duos tantùm: quod verum esset, si græcè scriberetur per ypsilon, & non per iota; & Plato in suis Dialogis non solùm duos, sed plures sæpenumero inter se colloquentes non introduxisset.

Primus omniū Dialogos conscripsit Zeno Eleates, ex eodem Diogene; Ex Aristotele verò Alexamenus Teius.

Plato rude adhuc & impolitum, tantùmque inchoatū Dialogorū genus expoliuit atque perfecit. Ci-

Cicero ſicut in alijs ſcribendi generibus maiores ſuos omnes ſuperauit, ita etiam in Dialogis.

Platonici faciunt duo Dialogorum genera: alterum ὑφηγητικὸν appellant; alterum ζητητικὸν

Dialogus ὑφηγητικὸς dicitur is, in quo præcepta quædã vel ad mores, vel ad doctrinam ſpectantia traduntur. Qualis eſt Ciceronis Partitionum liber, & *Lælius* ſiuè de Amicitia, & Cato Maior de Senectute, & ſecundus ac tertius liber de Oratore. Quod quidem Dialogorum genus latine, ſi libet, diſputatio diſciplinabilis dici poteſt.

Dialogus verò ζητητικὸς, in quo diſputatur in vtranque partem, & opiniones variæ traduntur. Ita in primo de Oratore, in libro de Finibus, in Lucullo, in Diuinatione, & hoc genus appellari poteſt Diſputatio controuerſa. Vide Maioragium in Dialogo de Partitione Oratoria M. T. C.

DE.

DE ANAGRAMMATIBVS.

ANAGRAMMA est quædam compositio ex iisdem numericè & specificè elementis dissitis præstita.

Anagrammatum peritia pars est Cabalæ secretioris eius nimirum anagogicæ vel allegoricæ sapientiæ. Ex Sixto Senensi in sua Bibliotheca.

Elementaria explanatio (inquit Sixtus) à qua dicti sunt Elementarij expositores, ea est, quæ circa significationem simplicium elementorum, siuè litterarum versatur.

Hæc explanatio diuiditur in duos explanandi modos iuxta duo litterarum significata, quæ recipiunt indiuiduæ syllabarum partes, & Notæ numerorum indices, præsertim apud Græcos, & Hebræos, qui omne numerorum genus per litteras repræsentant.

Primus modus est ex resolutione elementorum cuiusque dictionis & rursus ex noua diuersaque eorundem elementorum connexione, multiplices sensus tam historicos, quàm mysticos ex scripturis sanctis deducens. Hic modus secatur in duas partes, hoc est Resolutoriam, & Componentem. Pars Resolutoria diuellit & separat litteras alteram ab alterà, & ex vnaquaque littera dictiones quasdam extra-

extrahit ab eadem littera incipientes. Pars Componens eadem eiusdem dictionis elementa, priùs dissita ac disiuncta, iterum nouo ordine transponens, & alterum pro altero variatâ sede reponens connectit; & nouas conflat ex eis syllabas, voces, orationis partes, & sermonis formulas. Ista expositione vsi sunt etiam Græci, Plato in Cratylo, Æsopus Phrygius, &c.

Secundus modus dici potest Arithmeticus, qui laborat in inuestigandis significationibus numerorum, quos litteræ in dictionibus & syllabis positæ repręsentant. Apud nos hic modus incognitus: apud Hebręos & Gręcos vsitatus ob ipsorum litteras singulas, quæ numerum aliquem significant. Apud Latinos sunt septem numerorum indices, C, D, I, L, M, V, X.

Hebraeis tribuenda est principiò anagrammatizandi ars, quæ ad viros vndequaquè doctissimos duntaxat pertinet. estque adulationis expers.

Anagrammatum compositio ortum habuit ab Anastrophe figurâ, quam inuersionem interpretantur, idest duorum verborum ordinem præposterum, vt Italiam contra, pro contra Italiam.

Dicitur Anagramma græcè ab ἀνὰ re vel sursum, & γράμμα littera, hoc est, quasi retrolittera.

Diphtongi vt sunt, currant.

Licentiæ tres tantùm sunt, nec plures, nec pauciores, nimirùm addendi vnam, diminuendi alteram, alteramque commutandi.

Anagramma potest stare quidem cum tetrasti-

cho hexasticho, & octasticho; meliùs tamen cum disticho, & sine his.

Sequuntur paradigmata Anagrammatum primi modi, secundæ partis scilicet Componentis.

ANAGRAMMATISMVS

In quo transpositis literis contentis in nomine Iudas Iscariothes, præter, O, quæ, in M, commutatur, quid sub infelici nomine lateret, ostenditur.

Iudas Iscariothes.
Ah sic tradis IESVM?

Sic anagrammatizauit Lælius Gratianus Romanus, vir eruditissimus & amicus, illiusque Disceptationum forensium iudiciorum Auctoris Stephani Gratiani I. V. D. germanus Frater.

Aliud Anagramma.

Ex eodem nomine *Iudas Iscariothes*, deductum, fortasse sine licentia, sic & cum additione vnius H, quæ plerisque omnibus preter Pierium cum Probo, non est litera, sed adspirationis nota.

Ah ad os IESV Christi?

Carolus à S. Antonio Patauino, Anconitanus ex pau-

pauperibus Matris Dei Scholarum Piarum Sacerdos multò, quàm alij, fœliciùs hac nostra tempestate anagrammatizare & purè & piè à doctis censetur, & tanta vbertate, vt Vrbs tota eâ mirificè capiatur. Est hic Pater grammaticis literis perpolitus, imò vel maximè humanissimus. Cuius tale de Christi Præcursore anagramma.

Diuus Ioannes Baptista Domini Iesu Christi Præcursor.

Anagramma purum.

Insani Herodis (tes impia!) diro iussu capite obtruncatus.

Aliud

DE SANCTA CAECILIA.

Sancta Cæcilia Virgo, & Martyr.

Magistra cantu & cilicio rara.

In hoc non habetur ratio diphtongi, æ; nam lex est, Diphtongos currere, vt sunt; neque Y, quia I Latinum pro I Græco.

Aliud

DE SANCTO LAVRENTIO.

In quo nulla licentia.

Diuus Laurentius.

Viuus ardens tuli.

Distichon.

Vritur en felix Laurus, sed viuus in igne:
Nil crepitat, miror, cùm sua sit propria.

Pro paradigmate sequens etiam purum & sine cura vlla accuratum anagramma vnà cũ suo breui & arguto epigrammate, quod ad Sereniss. Principem Paulum Iordanum II. Vrsinum Bracciani Ducem, Sacri ROMANI Imperij Principem, &c. Musarum delicium dabat Fr. Io. Baptista Hacquetus Ord. Præd. Mag. in quo vno vt solida S. Augustini doctrina (quicquid hypocritaçè & artificiosè, prudentiæ carnis inhærentes, quæ Deo inimica est, blaterent per hæc tempora Pelagianorũ reliquiæ) sic clara D. Thomæ explicatio enitet, vti pro pedem testabitur Controuersorium eius illud Theologicum in Scholis dictatum & auidè exceptum, quod nunc Romæ sub prælo est apud Iacobum Phæũ Andreæ Filiũ, eruditis in hæc verba ponitur:

PAVLVS IORDANVS VRSINVS.

Anagramma.

Vnus plus aurora, an sydus?

Epigramma.

Præterit Aurora, at Sydus non præterit vsquàm
Vrsa polo splendens, lux nequit ista mori.
Principis Vrsini Musæ splendore perennes;
Plus Aurora Vnus lumine; Sydus erit.

Sequitur exemplar eiuſdem primi modi primæ partis, hoc eſt, Reſolutoriæ.

Anagramma.

De Sacroſancta LAVRETANA Domo.

PICENVM.

Portabitur in Comero ædicula Nazarethana, Virginis MARIÆ.

Licentiæ in hoc ſumptæ indicantur initio Compendij vulgaris Ortographiæ Syluij Conradi Fratris germani mei.

Aliud

Elementarium Cabaliſticum Anagramma conſtans partim primo, partim ſecundo modo, Arithmetico dicto, in nomine Henrici Francorum Regis, quod olim, aiunt, Romæ fuiſſe inuentum.

HENRICVS.

Henricus Eiuſdem nominis Rex I. ideſt, primus Caroli V. ideſt, quinti Succeſſor.

Appionis grammatici Alexandrini, ex Sixto ſupra citato, extat explanatio in primam dictionem Homericæ Iliados μῆνιν Appion enim dicere ſolebat, Homerum artificiosè à ſyllaba μῆ librum ſuum inchoaſſe, nimirum vt his duabus literis comprenderet totum numerum octo & quadraginta voluminum, quibus abſoluitur vniuerſum corpus Iliados, & Odyſſeæ à ſe editum; numerum

enim octo & quadraginta per μ & ν Græci designant. Hactenus idem doctissimus Pater Sixtus Senensis Dominicanus.

Est & aliud purum Arithmeticum siuè numerale Anagramma, quod non easdem specificè literas, quas nomen seù nomina habent, retinet. Numericè verò aliquando anagrammatizatum nomen ab anagrammate vnâ pluribusue literis, vel cõtra anagramma ab anagrammatizato supc-ratur: Aliquando vtrumque totidem, hoc est, literas habet. In summa tamen necesse est, vtriusque pares esse numeros. Cuius rei talis datur regula. Numerantur elementa ab A descendendo vsquè ad Z inclusiuè, præter K, cuius vicem supplet C iuxta Quintiliani sententiam, non tamen Donati & aliorum. Esto igitur ad libitum literæ huius ratio. A, verbi gratiâ, signat vnum, B duo, C tria, D quatuor, & sic deinceps vsquè ad Z, inclusiuè, excepto ypsilon, quod ad calculum non reuocatur, sed I latinum pro græco computatur. At lubet in præsentia mihi apponere vnum eius generis paradigma, quod cùm deuotè, tùm ingeniosè excogitauit, perfecit, edidit Dominus Bernardus Philippinus Aprutinus, qui ad nouam quasi exurgentem poësin natus videtur, & in Vrbe auditur, (quicquid in eum scioli quidam & insulsi blaterent poetæ) verè amicus, quia mihi finitimus quia æqualium eruditorũ hominum amicitiâ clarus: in honorem S. Antonij, quem de Padua nuncupant.

Ana-

Anagramma Arithmeticum, siuè Numerale, in quo K non numeratur, & in vtroque totidem sunt literæ.

A	1	Hic Antonius lux maxima Minorum.
b	2	20 101 49 53 91
c	3	
d	4	20
e	5	101
f	6	49
g	7	53
h	8	91
i	9	
l	10	*Eccl.45.* 314
m	11	In verbis suis monstra placauit.
n	12	21 68 62 88 75
o	13	
p	14	21
q	15	68
r	16	62
ſ	17	88
t	18	75
u	19	
x	20	314
z	21	

At Franciſcus Papatettus omnigenæ literaturæ iuuenis Romanus, qui puer & adoleſcens æqualibus ſuis, (modò fortunæ bona dempſeris) in humanis ac philoſophicis ſtudijs verſans, longè antecelluit,

celluit, cum alijs viris doctis in numeratione literarum alphabeticarum aliter procedit, nimirùm post decadem, quæ completur in L, non numeratâ tamen K per eosdem, qui volunt huius vicem, sicut primi, suppleri per C, singulis sequentibus elementis duplicat decusses vsque ad V inculusiuè, quod hecatontadem, idest, centenarium significat. X duplicat, Z verò triplicat centenarium: soluit diphtongos: & licentiam addendi, vel diminuendi, necnon commutandi numerum pro numero asserit posse retineri; vt in sequenti eius paradigmate facile est videre.

A	1	Sanctus	Ioannes	Baptista.
b	2	80	9	2
c	3	1	40	1
d	4	30	1	50
e	5	3	30	90
f	6	90	30	9
g	7	100	5	80
h	8	80	80	90
i	9	——	——	1
l	10	384	193	——
m	20	——	——	323
n	30		384	——
o	40		195	
p	50		323	
q	60		——	
r	70		902	
			——	

Præ-

		Præcurſor	Verbi	Dei	Meſſihae.
ſ	80				
t	90	50	100	4	20
u	100	70	5	5	5
x	200	1	70	9	80
y	300	5	2	—	80
		3	9	18	9
		100		—	8
		70	—		1
		80	186		5
		40	—		—
		70			208
		—			—
		494			

489
186
18
208

901

Nos ſcribentes *Meſſie* ſinè h, quod non abijciunt Hebræi ſcribentes Meſſiah, vt Sanctes Pagninus, vtranque parem colligemus ſummam, retentâ earundem ſolutione diphtongorum, ſic:

I Præcurſor Verbi Dei Meſſiæ.

Redige tu Lector vtriuſque in ſummam numeros, & videbis.

Sed

Sed ex alijs etiam humanis fontibus peti possunt anagrammata: verùm enimuerò quæ ex sacris literis (modò anagrammatizatis ea quadrent) non paruo semper æstimata fuerunt. Et hæc ferè de tota angrammatizandi ratione.

DE

ELOGIO.

ELOGIVM dicebatur, quoties sententia aliqua numeris includebatur in commendationem, vel detestationem alicuius personæ. siuè, Elogium est celebre aliquod dictum dignum memoriâ, laudem alicuius, vel vituperationem, vel aliquod aliud declarans.

Simplicissimum Elogium in imagine Ennij:

Aspicite ò ciues senis Ennij imaginis formam:
Hic vestrûm pinxit maxima facta patrum.

Extant etiam solutâ vel pedestri oratione Elogia apud veteres: Honoris apud Cic. in Cato: maiore. Attilius Calatinus, in quem illud Elogium, Vnicum plurimæ consentiunt gentes populi primarium fuisse virum. Vituperationis. Apud Quintilianum Declamat. 2. Non est, Iudices, quòd pu-

tetis ideò nullum adie&um ad exhæredationem iuuenis elogium, quia de scelere constaret. Vide Laurentium Vallam lib. 4. cap. 66.

Hinc Suetonius in Claudij vita cap. 1. Nec contentus Elogium tumulo eius versibus à se compositis insculpsisse, etiam vitæ memoriam prosâ oratione composuit.

Illustrium quoque domi militiæque cùm Græcorum tùm Romanorum (vt epistola ad lectorem in suis Belgij Scriptorum Elogijs notauit Aubertus Miræus Canonicus Antuerp.) vitas Plutarchus cõparauit; Aemilius Probus, seu potiùs Cornelius Nepos Imperatorum Græciæ, Philosophorũ Laertius Diogenes, Sophistarum Philostratus atque Eunapius, Rhetorum verò ac Litteratorum vitas idem Suetonius, collegerunt.

In hoc scriptionis genere & quidem peruetusto præter illos Græcos & Romanos versati sunt prisci illi Ecclesiæ Patres, Hieronymus. Gennadius, Gregorij, Isidorus, Honorius, Ildefonsus, Photius, Sigebertus, cæteri, quorum exemplo Ioan. Trithemius, & Paulus Iouius illustres sui sæculi Scriptores litteris consignarunt; & singulatim Ligures suos Vbertus Folietta, Hispanos Ferd. Mattamorus, Britannos Guil. Lilius, Germanos Corn. Callidius, Frisios Suffr. Petrus, Gallos Scæuola Sammarthanus prædicarunt. Plerique etiam singuli Religionis suæ laudauerunt Auctores & Doctores. quod nouissimè pręstitit P. Lucas VVaddingus Hibernus ex Ordine S. Francisci Minorum assumptus, cuius

eximiæ doctrinæ splendor debitis laudibus nunquàm carebit. Hunc sequutus est in eandem sententiam laconicè sed scitè Auctor Bibliothecę Marianæ, Pater, inquam, Hippolytus Marraccius Lucensis, Theologus Congregationis Clericorum Regular. Matris Dei, vir sanè in hoc genere, sicut & in cæteris nulli secundus. Nec prætereundus mihi est Iacobus Philippus Thomasinus Patauinus, qui nostrâ ætate magnâ cum doctrinæ gloriâ typis tradidit Illustrium Virorum Elogia vnà cum Memorijs, & Epitaphijs, Numismatibus, ac Stemmatibus. Deniquè non tacendus Ignatius Bomplanus Iesuita, in quo celebrando non est, quòd desudem; iuuentus enim Romano in Collegio à se plurimos annos quà declamando, quà dictando exercita meritò ac iure eum collaudat. Qui id genus scribendi, quod Recentiores in Elogia & Inscriptiones sunt partiti, complexus, Inscriptionibus relictis, Elogia tanquàm amœniore (vtar ipsiusmet verbis) stylo exaranda excoluit. Appingatur amâbo hic in iuuentutis siuè studentium gratiam vnum paradigma, quod est postremum ex eius Sacro-moralium edito libello, qui Soram vel Arpinum Româ profecturus ad hunc modum scripsit:

ROMA

Extra ROAM.

Romam desero

Sed Roma etiam extra Romam est.

Non Roma Romam facit,

Sed mens Romam;

Hoc est agens, & patiens fortia.

Vbique fortia & agere & pati licet.

Ergo non Romam desero;

Immò quæro,

Dum eò proficiscor,

Vnde Roma creuit.

Quis Romæ olim vtilior

Marco Tullio?

Quis nuper magis optandus

Cæsare Baronio?

Illum Arpinum, Sora hunc dedit.

Horum patriam dum peto,

Par Romæ domicilium quæro.

Roma est, vbi Roma fit.

Nunc vnum & alterum de S. Hieronymo Ecclesiæ Doctore ex Petro Adriano Flandro-Belga, publico olim eloquentiæ professore, cuius eruditi viri, præceptorisque eximij apud Gymnasium Beyghemiense memoria semper valebit.

Hiero-

Hieronymi adolescentia.

ELOGIVM I.

Sub Donato præceptore
integerrima Hieronymi adolescentia
non tam fide, & litteris informata,
quàm absoluta,
suis primò in vrbe patria,
exteris dein omnibus
cultui & admirationi fuit.
hinc
ingens Roma à fide, & fama
adolescentem Stridone euocat,
non minus Diuorum Martyrum,
quàm Numinis, & Suadæ
amantem.
Cur quæris?
maior futura est Roma
sub hoc Astro, quod ab axe Italo
sectarum nymbos dissipabit.

ELOGIVM II.

Hieronymus Romæ Martyrum sepulchra rursum inuisit.

Tenacissima Pietas
in solo tenacis animæ
quas

quas semel radices egit,
æuo demittere
non didicit.
Cryptas, Martyrum sepulchreta,
Si olim pius visit
tenax propositi Pater,
hoc superest modò,
vt constantes illos in fide Manes
ita animo & mente amplexus fuerit,
vt
illius desiderio
Martyrij meritum
defuisse non possit.

Denique audi Augustinum serm. 18. de Sanctis, qui est 2. de Annuntiatione Dominica: Præcisum est in ea (inquit) illud Euæ infelicitatis Elogium, quo dicitur: In dolore paries filios tuos: quia ista in lætitia Dominum peperit.

DE

DE PHRENOSCHEMATE,

Quod vulgò Impresia appellatur, & de Emblemate.

PHRENOSCHEMA seù Insigne quædam figura est, quæ vnà cum breui sua sententia aliquid nobis indicat, & qua nos breuiter vtimur ad palàm subsecretò aliquãtulum alicui faciendum animi nostri conceptum.

Phrenoschema non debet esse adeò obscurum, vt interpretatione semper indigeat, nec etiam adeò clarum, vt illud imperita multitudo cogitatione comprehendat. Sit speciosum & decorum; figuræue cum dicto ita sint connexæ, vt nec dictũ seù sententia ex se, nec figuræ suâpte naturâ mentem & sensum Authoris aperire valeant.

Veteres indicta gestabant in vexillis Insignia, non aliâ certè ratione, nisi vt ea maiori in honore haberentur; nam quò aliquid occultius, eò honorabilius est. Et Aegyptij occultabant diuina figuris, varijsque animalium signis, ne plebi ita vilescerent. Ita Pierius Valerianus in suis Hieroglyphicis. Michaël Mercatus tract. de Obeliscis, qui Romæ hodiè visuntur.

Ma-

Marius in vexillo gestabat elephantem, Augustus sphingem.

Paradigma Phrenoschematis Antonij Leuæ, vt refert Iouius. Figura: *Examen apum*: Dictum. *Sic vos non vobis*. Quo ostendebat, se Mediolanensem Ducatum adeptum esse, ab alijs verò percipi fructus.

Præterea optima sunt sequentia, studiosis interpretanda relicta.

Luna defectione Soli efficiens depingatur, cum hoc dicto. Quo ingrata refulget.

Ruscellus Fortunæ causâ turrim combustã pinxit, cum hoc: Opes, non animum.

Ferreum collare caninũ cuspidatum, cum hoc: Sanciat, & defendit.

Follis subleuatus, cum hoc: Concussus surgo.

Arundines, cum hoc: Flectimur, non frangimur vndis.

Adamas in igne malleis tusus, cum hoc: Semper adamas.

Aspis caudâ aurem obturans, cum hoc: Mentem ne læderet auris.

Vas apum fumo expulsarum, cum hoc expressit Ariostus: Pro bono malum.

Solent etiam italicâ linguâ depingi phrenoschemata. verbi gratia, Flamma cum dicto:

Bella da lungi, mà mortal d'appresso.

Et illud de luto apricante: *Per te m'ergo, & immergo*.

Tandem vimineus fascis, cum dicto: *Piegando*

mi lego. In quo aduertendum, italicæ particulæ *Mi* duos inesse sensus.

In hoc scriptionis genere, sicut & in alijs multis, multa lusit iuuentute tū furente Mancinus Mancinellus à M. D. Pauli Asculanus Picenus, qui postea ex ordine S. Francisci Minorum assumptus vocatus est Fr. Lucidus, qui quantus nunc theologus sit, silent indocti, clamant docti & exteri & ciues.

Emblema, quod Phrenoschemati est affine, dicitur quicquid interseritur ornatus causâ, non modò parietibus & pauimentis, sed & rebus alijs permultis, vt vasis, pateris, vestibus, cuiusmodi sunt clauiculi, aut imagines aureæ vel argenteæ, ceteraque generis eiusdem.

Hinc Emblemata vocantur carmina, quibus imagines, agalmata, pegmata, & id genus alia scitè adinuenta, variè & eruditè explicantur. Sed & oratio varijs verborum rerumque pigmentis referta dici figuratè potest.

Nec semper necesse est, in Emblemate esse adiectum Epigramma.

Sententia & Emblema differunt vt verba & res, seu signa quędam rerum, & res signatæ. Denique non est adagium vel paroemia, quia Emblema est aliquid ingeniosè ab ingeniosis excogitatum, vt ita dicam: adagium verò sermo in ore omnium versatum. Plura petas ex commentarijs Claudij Minois in Emblemata Andreæ Alciati I. V. C. qui in hoc scriptionis genere maximè omnium excelluit. De Emblemate Cic. ad Brutum, & 6. in Verrem. Vide etiam Budæum.

DE

DE EPITAPHIO.

EPITAPHIVM propriè dicitur inſcriptio, quæ fit ſupra ſepulchrum in laudem defuncti. Hac docetur, cuius oſſa tegantur eâ mole, quod eius plerunque nomen, ætas, dignitas, munus, facta, & huiuſcemodi alia.

Huius materia diuersâ ratione tractatur vel verſu, quia ſpecies Epigrāmatis eſt; vel prosâ, pro Imperatore, milite, Sacerdote, Epiſcopo, Pontifice, Theologo, Phyſico, Iuriſperito, &c.

Hoc aliquando fit per exclamationem, modò per interrogationem, vt noſmetipſos rogemus, vt expectemus reſponſionem; deinde percontemur alia, vt loquamur cum vrna ſiuè tumulo. Significemus, quid nos loqui, quid ſilere cogat, quo dolore afficiamur. Decet inuehi in mortem, in cauſam mortis: ſi peſtis, ſi bellum, ſi caſus, ſi aqua, ſi ignis, ſi mare, ſi ager, ſi villa.

Fuerunt veterum præter viuida illa Martialis, ſimpliciſſima Epitaphia, nonnunquam etiam culta & elegantia. Extat illud Poëtæ Pacuuij.

Adoleſcens tametſi properas, hoc te ſaxum rogat,
Vt ſe aſpicias, deinde quod ſcriptum eſt, legas,

Hìc ſunt Poëtæ Pacuuij Marci ſita
Oſſa: hoc volebam, neſcius ne eſſes. Vale.

Illud Plauti.

Poſtquam è morte captus Plautus,
Comœdia luget, ſcena eſt deſerta,
Deinde riſus, ludus, iocuſque, & numeri,
Innumeri ſimul omnes collacrymarunt.

Illud Ennij cenodoxiæ captatoris.

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit, cur? volito viuus per ora virùm.

Illud Virgilij.

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope, cecini paſcua, rura, duces.

Aliud apud eundem Virgilium de Daphnide Ecloga V.

Et tumulum facite, & tumulo ſuperaddite carmen.
Daphnis ego in ſyluis, hinc vſque ad ſydera notus.

Proſaica quoque & illa lectiſſima atque elegantiſſima cœnotaphijs marmoreis ſuis veteres Ethnici incidebant epitaphia, quæ vel maximè Romæ cùm in ædibus, tùm in villis vndiquè etiam nunc, Dijs vel Dis Manibus inſcripta, leguntur.

Feſtiua & iocoſa tum ligata, tum ſoluta vernacula ſunt illa:

Qui giace Fronoſin Soldato brauo,
Che con la Spada ſua non fè mai ſangue.

Hoc ſolutum eâdem vernaculâ linguâ.

Quì

Quì riposa la buona memoria di Messer Trauaglia valente Ciauattino.

Alia eiusdem modi lepida sed ligata Epitaphia leguntur apud eruditum virum Ioannem Franciscum Lauredanum nobilem Venetum, vt est illud de Aulico:

Don Filippo son' io, condotto à morte,
C'hebbi in premio al seruir mille mal anni;
Tutt' i Prencipi miei furon Tiranni:
Altro non posso dir. Fuggi la Corte.

Sed pleniora sunt eruditione atque doctrinâ, quę in nostris sacris ædibus, maximè Romæ, passim recitantur, quia Catholica, hoc est, vniuersaliora, veriora. Hinc illud Epitaphium sepulchri Sancti Eugenij Archiepiscopi Toletani, quod ipsemet acrosticis versibus imponi iussit in Basilica Sanctæ Leocadiæ Toleti, vt refert Baronius tom. 8. ann. Christi 657.

E xcipe, Christe potens, discretâ corpore mente M,
V t possim picei pœnam vitare barathr I.
G randis inest culpa, sed tu pietate redunda S.
E lue probra, Pater, & vitæ crimina toll E.
N on sim pro meritis Sanctorum cœtibus exu L.
I udice te prosit Sanctum videre tribuna L.
V is, Lector vno quis sim, dignoscere versV?
S igna priora lege, mox vltima nosse valebi S.]
nempè Eugenius Missellus.

Hìc sunt Poëtæ Pacuuij Marci sita
Ossa: hoc volebam, nescius ne esses. Vale.
Illud Plauti.
Postquam è morte captus Plautus,
Comœdia luget, scena est deserta,
Deinde risus, ludus, iocusque, & numeri,
Innumeri simul omnes collacrymarunt.
Illud Ennij cenodoxiæ captatoris.
Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit, cur? volito viuus per ora virùm.
Illud Virgilij.
Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope, cecini pascua, rura, duces.
Aliud apud eundem Virgilium de Daphnide
Ecloga V.
Et tumulum facite, & tumulo superaddite carmen.
Daphnis ego in syluis, hinc vsque ad sydera notus.

Prosaica quoque & illa lectissima atque elegantissima cœnotaphijs marmoreis suis veteres Ethnici incidebant epitaphia, quæ vel maximè Romæ cùm in ædibus, tùm in villis vndiquè etiam nunc, Dijs vel Dis Manibus inscripta, leguntur.

Festiua & iocosa tum ligata, tum soluta vernacula sunt illa:

Qui giace Fronosin Soldato brauo,
Che con la Spada sua non fè mai sangue.

Hoc solutum eâdem vernaculâ linguâ.

Quì

Quì riposa la buona memoria di Messer Traua-glia valente Ciauattino.

Alia eiusdem modi lepida sed ligata Epitaphia leguntur apud eruditum virum Ioannem Franciscum Lauredanum nobilem Venetum, vt est illud de Aulico:

Don Filippo son' io, condotto à morte,
C'hebbi in premio al seruir mille mal anni;
Tutt' i Prencipi miei furon Tiranni:
Altro non posso dir. Fuggi la Corte.

Sed pleniora sunt eruditione atque doctrinâ, quę in nostris sacris ædibus, maximè Romæ, passim recitantur, quia Catholica, hoc est, vniuersaliora, veriora. Hinc illud Epitaphium sepulchri Sancti Eugenij Archiepiscopi Toletani, quod ipsemet acrosticis versibus imponi iussit in Basilica Sanctæ Leocadiæ Toleti, vt refert Baronius tom. 8. ann. Christi 657.

E xcipe, Christe potens, discretâ corpore mente M,
V t possim picei pœnam vitare barathr I.
G randis inest culpa, sed tu pietate redunda S.
E lue probra, Pater, & vitæ crimina toll E.
N on sim pro meritis Sanctorum cœtibus exu L.
I udice te prosit Sanctum videre tribuna L.
V is, Lector vno quis sim, dignoscere versV?
S igna priora lege, mox vltima nosse valebi S.
nempè Eugenius Missellus.

Hinc etiam illud carmen ad eandem formam artificiosè contextum cecinit D. Antonino Martyri Hieronymus Spadius Placentinus, cum solutine tantùm diphtongi Ae in principio vltimi versus.

A t quis, diue, tuis	A ris solennia don	A
N unc Non iure ferat?	N obis placabile Nume	N
T u reddis, Tua nos	T utos cusTodia præsta	T
O rci tu rabiem miserO	mOnstra omnia mund	O
N oxia refrænas &	N igrum strenuus agme	N
I nclyte dux, altI	uIa sIs ad limen Olymp	I
N os rege; Nos refoue;	N e sperne igNobile carme	N
V im Vince hostilem; lętoV	ota accipeVult	V
S upplex quæ tua genS	offert tibi, diue, quotanni	S
S is bonus, ò nostræ siS	felix ciuibus Vrbi	S
V rbs Vario & facili	V igeat per sæcula Vict	V
N on aruis Nebulæ	N oceant, noN tortile fulme	N
I mpia sanguine I	sInt Irrita bella Gradiu	I
N on hic larga Ceres	N on desit vinifer Eua	N
O ramus pacem tOto	O rbe, Omnique remot	O
T urbine tuTa salus	T erris optaTa quiesca	T
N umiNe diuino, duce	N ostro sospite Nome	N
A eternum tribuas; celsA	hunc, nosque erige ad astr	A

Apposita Nota pro acrostichis versibus.

IN hoc carmine litteræ maximæ à minutis distinctæ in singulis versibus & primæ & mediæ & finales acrosticæ sunt, nominisque *Antoninus* decuplam sursum, & deorsum, nec non decussatim constituunt lectionem. Lexicon Græco-Latinum Iacobi Tusani habet vltimam syllabam per χ quod Ch sonat; sic enim duobus in locis legit: Ἀκρόστιχα, ideſt ſummi verſus, ſeù verſuum ſummitates. Et Ἀκροστιχὶς ίδος ἡ, ſummitas verſuum, ideſt primæ literæ. Huic concordat Theſaurus latinæ linguæ in hæc verba: Acroſtichis, penult. corr. huius acroſtichidis penul. etiam corr. f. g. Quum ex primis aliquot verſuum continuo ordine ſequentium literis oratio aliqua connectitur, vt in quibuſdam Ennianis, & Sybillinis. Cælius Antiq. lect. lib. 13. cap. 39 & Cic. de Diuin.

S. Hieronymus cur epiſtolam, quam ſcripſit ad Euſtochium Virginem, quæ eſt vigeſima ſeptima, inſcripſerit Epitaphium Paulæ matris, video ex omni parte, cùm in calce literarum Epitaphium ſit appoſitum. Vale, inquit, ò Paula, & cultoris tui vltimam ſenectutem orationibus iuua. Fides & opera tua Chriſto te ſociant: præſens faciliùs, quod poſtulas, impetrabis. Exegi monumentum tuum ære perennius, quod nulla deſtruere poſſit vetuſtas. incidi Elogium ſepulcro tuo, quod huic volumini ſubdidi; vt, quòcumquè noſter ſermo peruenerit, te laudatam, te in Bethlehem conditam lector agnoſcat.

Sequitur titulus ſepulcri.

Scipio quam genuit, Pauli fudere parentes,
Gracchorum ſoboles, Agamemnonis inclyta proles,
Hoc iacet in tumulo, Paulam dixere priores,
Euſtochi genitrix, Romani prima ſenatus
Pauperiem Chriſti, & Bethlehemitica rura ſecuta eſt.

In fronte ſpeluncæ.

Aſpicis anguſtum præciſâ rupe ſepulcrum?
Hoſpitium Paulæ eſt, cæleſtia regna tenentis.
Fratrem, Cognatos, Romam, patriamque relinquens,
Diuitias, ſobolẽ, Bethlhemiti conditur antro.
Hic præſepe tuum Chriſte, atque hìc myſtica Magi
Munera portantes, hominique Deoque dedère.

Dormiuit ſancta & beata Paula VII. Kal. Febr. tertia Sabbati poſt ſolis occubitum. Sepulta eſt V. Kal. earundem, Honorio Auguſto Sexies & Areſtenio conſulibus. Vixit in ſancto propoſito Romæ annos quinque, Bethlehem annos viginti. omne vitæ tempus impleuit annis quinquaginta ſex, menſibus octo, diebus viginti, & vno.

Etiam intelligo aliquâ ex parte vigeſimam nonam ad Theodoram, ſub hoc titulo, Epitaphium Lucinij Bætici; propè finem enim S. Hieronymus hæc habet: Itaquè, cariſſima filia, hanc epiſtolam amoris mei in illum habeto Epitaphium.

Quare verò sequentem ad Oceanũ, epitaphium Fabiolæ nuncupet? tertiaque superior ad Heliodorum scripta qua gratiâ sub nomine epitaphij Nepotiani appareat? eàdem ratione tenemus; quòd in illis Epitaphij fiat mentio, hoc est, defuncti laudentur. Itaque epistolæ, quæ defunctorum laudes continent, etiam Epitaphij nomenclaturâ insigniri possunt.

De Nænia.

NAenia epitaphiũ dicebatur seù carmen, quod ad rogum canebatur: si verò sepulturæ inscriberetur, Epitaphium. Acron docet esse fictitium nomen, à similitudine vocis eorum, qui queruntur & dolent. Metaphoricè S. Hieronymus dixit pro ineptia cuiuslibet cantus aut sermonis contra Rufinum: Qui, inquit, tuas emendaret Nænias. Author huius carminis fuit Simonides Lyricus. Vide plura de hac voce in Calepino vel Thesauro verb. Nænia.

De Epicedio.

EPicedium erat carmen, quod pronunciabatur in exequijs, dum iusta soluerentur. Nam ex Ammonio, Epicedia sunt, quæ laudem demortui continent cum commiseratione. Solebat, inquam, cani ante cadauer sepultum: aliter, scribit Sipontinus, nænia vel monodia dictum. Sic etiam Seruius Virgilij interpres & Lexicon Græco-Latinum voce Ἐπικήδειος

De

De Monodia.

MOnodia erat carmen lugubre, quod ab aliquo voce ſubtriſti canebatur ad mouendos affectus & eliciendas lacrymas.

De Threno.

THrenus græcè θρῆνος, Latinè luctus, fletus, lamentatio, fuit genus carminis,quo deflebant veteres euerſionem vrbium; vt in diuinis litteris vatem ſanctiſſimum videmus deflere caſum acerbũ ciuitatis ſanctæ Hieruſalem ex S. Hieronymo, qui: Habes, inquit, in lamentationibus Hieremiæ quatuor alphabeta, è quibus duo prima quaſi ſapphico metro ſcripta ſunt: quia tres verſiculos, qui ſibi connexi ſunt, & ab vna tantùm litera incipiunt, heroici comma concludit. Tertium verò alphabetum trimetro ſcriptum eſt: & à ternis literis, ſed eiſdem terni verſus incipiunt. Quartum alphabetum ſimile eſt primo, & ſecundo.

De Palinodia.

PAlinodiam primus dicitur compoſuiſſe Steſichorus poëta Siculus. Erat autem Palinodia certum genusEpigrammatis in laude conſumptũ. Nam cùm priùs aliquem vituperaſſet poëta, cuius ſcriptionis ſe pœnituiſſet, recantabat iterum, & eum,

eum, quem accuſarat, laudabat rurſus: pro quo etiam dicimus, Palinodiam canere, quod eſt diuerſum ab ijs, quæ prius dixeris, dicere. Plato in Epiſtol. apud Pindarum.

De Aeno.

AEnus Epigrammatis genus, in quo inerant fictiones ſecundum Heſiodum, & quaſi quædam picturæ, & rerum imagines, cum aliud apertè præſeferunt, aliud verò ſignificant, & tacitè profitentur. Aenos differt à mytho, id eſt fabula: quia Aenos, vt Ariſtophanis interpretes produnt, non pueris concinnatur, ſed ad viros dirigitur: nec conſolatorius modò, ſed paræneticus quoque, ideſt præceptorius vel admonitorius: admonet enim & docet. quod eundem Heſiodum feciſſe animaduertimus. Cælius lib.8. Antiqu. lect. c.47. Dicitur etiam Aenos, quod alio nomine Griphus, ſermo implicitus, vt apud Clearchum, Vir non vir, Auis nec tamen auis, Lignum non lignum, Lapis non lapis: pro Eunucho, veſpertilione, ferula, pumice. Aenon ſunt qui apologum interpretentur, item prouerbium quandoque.

DE EPIGRAMMATE.

EPIGRAMMA nihil eſt aliud, quàm breue poëma cum ſimplici rei cuiuſpiam indicatione vel perſonæ, vel facti.

Epigramma aliud ſimplex, in quo vnam tantùm rem exprimit Poëta: aliud compoſitum, in quo diuerſa.

Non ſolùm oratio certis numeris aſtricta Epigramma dicitur, ſed inſcriptiones monumentorum etiam oratione ſoluta ſcriptæ epigrammata vocari conſueuerunt.

Dictio in Epigrammate pura eſſe debet, lecta, ſincera, elegans, quæ rei dignitatem, quantum fieri poteſt, augeat.

Prima inuentio vſuſque Epigrãmatis fuit in ſtatuis & ſignis, imaginibus, trophæis; & quibuſque monumentis: vt qui Herculi ſignum erigebat, illi inſcriptionem addebat: Magno Alcidi, ſiuè Herculi patri: Cuſtodi Vrbis, ſiuè Orbis domitori, & huiuſmodi.

Forma Epigrammatis quaſi anima & ſpiritus eſt argutia, ſine qua iacet & languet. immò ſi argutiâ careret, Epigramma non diceretur. Felix in argutijs Catullus, felicior Martialis; quamuis re-

bus alijs multò sit inferior, minusque cultus & limatus.

Conclusio Epigrammatis, quod totum illustre, elaboratum industria, perfectum ingenio, studio absolutum esse debet, arguta & admirabilis expectatur. Est quidem eius finis laudare vel vituperare, sed argutè. Eadem enim ex Martiale epigr. 24. lib. 7. est ciborum & epigrammaton conditio, vt placere nequeant, nisi addita mica salis aut aceti.

Quare imitatione & iudicio perficitur & absoluitur Epigramma. Ad cuius cōpositionem multa arte opus est; sale, vt dictum est, acumine ingenij, breuitate decora, solertia quadam, & iudicio. Nam in hoc breuitas delectat, acumen excitat, concinnitas capit, hæret sententia, lepor voluptate incredibili animum perfundit. Aduerte tamen cum eodem Martiale lib. 2. epigr. 77. quòd Epigramma multorum versuum, si benè compositum sit, longum videri non potest; benè, Disticha Casconij malè composita, longa sunt.

Ad huius Scriptorem pertinet non tam delectare, quàm iuuare, magnâ cum auditoris vel lectoris admiratione iocando. Quia licèt Epigrammatis lex ea præcipua sit, ex Palladio in Catullum epistolâ ad Lectorem, vt nudis simplicibusque ferè verbis iocandi, cauillandi, deridendiq. licentia lasciuiat; nonnunquam tamen laudat, atque ad aliquid agendum, quod peractum laudem sit allaturum; eum ipsum, ad quem scribitur, vehementer hortatur. Hoc autem à Satyris differunt, qui scri-

bunt

bunt Epigrammata, quod illi vitia tantùm acriùs capiunt, hi autem etiam honesta laudant, & nos ad virtutem amplexandam plerunque adhortantur. Præterea Satyrarum Scriptores aspera oratione, & verborum copiâ: hi leui nonnunquam, breuique sermone ferè semper vtuntur.

Insuper alias leges habet Epigramma, nimirùm Noua & ficta admittit: Solœcismum interdũ cum dignitate interponit, vt Martialis: Barbarismum non refugit, vt Catullus: Distortam dictionem non spernit, sed inserit venustè, vt idem Martialis.

Totum Epigramma cultum, limatum, expolitum, teres, rotundum, affectuum plenum, molle, argutum, suaue, placidum, decorum esse debet; quod animum capiat, & in sensus legentium intimos se se insinuat: quod excitet, quod moueat eum, quem velis affici, quo volueris, modò non vi impellat, sed iucunditate alliciat. Non ita exultet, vt nesciat suo loco consistere, hæreat animo, relinquat in auribus vestigium sui: Non atterat, non affluat, non labatur; repetatur sæpiùs, & eò magis probetur, quò magis legitur: Condiatur multo sale, ornetur, affabrè poliatur, aceto nonnunqnam aspergatur, si res, & tempus postulauerint: Relinquat ambages, & tritas fabulas fugiat, nihil vulgare nec plebeium admittat, omnia in Epigrammate lucem & nitorem quendam præseferant. Verba sint propria, & rebus illustrandis apta: translata decore: adhibeantur accomodata, non grandia, nitida, expressa, rotunda, aptè

ficta,

ficta, non popularia, non sordida, non obsoleta, non aspera, non mista ex varijs linguis, etiamsi poëtæ græca interdum interponant, nec sine laude. Ne ponatur vllum verbum otiosum ad explendum versum magis, quàm ad rem significandam comparatum.

Ille in adhibendis appositis non errabit, qui ea addiderit, quæ Virgilius, Lucretius, Tibullus, Catullus, Ouidius, Horatius, Martialis adhibuit. Nos nullo negocio apposita hæc, siuè Epitheta suis adiuncta substantiuis, & vice versâ, substantiua cũ suis coniuncta Epithetis planissimè inueniemus in indice M. Val. Martialis concinnato ac edito à Iosepho Langio Cæsaremontano. Noua tamen apponi possunt, quæ dignitatem habeant, & idonea sint, & significantia.

Genera Epigrammatum censenda sunt ex rerum natura, de quibus Epigramma componitur. Tot enim sunt genera, quot rerum, de quibus texitur.

Sunt quædam Epigrammata mollia, tenera, varijs diffusa affectibus, amoris, & beneuolentiæ, in quo genere laus est maxima, & decorum (quod honestum & pulchrum, & probabile est) languor quidam. Alia sunt acria, vegeta, & viuida.

Alterum genus est, in quo Poëta sibi fel proponit & amarulentiam quasi quandam. Sunt in hoc genere frequentes obiurgationes, detractiones, maledicta, virus quasi quoddam diffusum.

Tertium est illud, quod quantum fieri potest absti-

abstinet à maledictis, acumine tamen quodam mordet. Totum videtur comparatum ad excusandum, & accusat: videtur laudare & vituperat. Genus est acutum, mordax, dicax. In eo Poëta argutè carpit, & salsè eludit eum, in quem componitur.

Quarta forma est tota sale condita & iucundâ vrbanitate, lepida, & venustâ. In hoc genere requiritur salsus quidam & vrbanus lepor, qui sensus animi iucunditate quadam perfundat, risumque moueat, non nimia dicacitate, nec mordacitate. Vitantur hic contumeliosa verba, absunt maledicta, & quæ fœdè & sine decoro fiunt, ad risum comparantur, non ad inferendam iniuriam, non ad iocum & ludum.

Quinto genere Epigrammata quædam componuntur eâ ratione, vt sibimet instent, tota sint densa, conferta, & multiplicia: quando ita singulis quibusque locis & partibus res grauiter & acutè comparantur, vt quouis loco & quauis parte sententia terminari concludique possit. Deducitur verò, vt sententia semper crescat. Hoc ingenijs fœlicibus vsuuenit, non quibusque. Nam magno artificio opus est, singulari acumine, & prudentiâ.

Sextum genus, Nobile & magnificum, generosum & splendidum, absolutum prudentia quadā & æqualitate plenum: in quo cum grauitate venustas miscetur, acumen cum lenitate temperatur: numerus quasi ibi natus videtur, non aliundè

cò

eò deflexus: non translatus ambitiosè, aut laborè quæsitus. In quo semper vsque ad extremam conclusionem legentis animus est suspensus: cuius desiderium expletur, sententiâ exceptâ. Conditur enim ex quæsita quadam argutia, & numeroso dicendi genere perficitur. In eo respondent aut partes partibus, & extrema conclusio superioribus omnibus.

Septimum est amatorium, molle, & placidum, quod influat in sensus & moueat. Non tamen amet turpitudinem, fugiatque illam obscœnitatem, quã de industria sectati sunt plerique spurci & fœdi homines in componendo. Habetque hoc genus epigrammata, quæ sint liberalia, & ingenua, sint verecunda, modesta, candida, culta, tersa, mollia, affectuum plenissima, & quàm varius est amantium affectus, tam varia sint ipsa. Sed cauendum, ne sint frigida, languida, inculta, puerilia.

Octauum est jucundissimum, acutum, & facetum, cum Echo in fine versuum respondet vel in medio, & sententiam vel illustrat eandem, vel diuersam exorditur. In hoc genere Latini fœliciores fuerunt Græcis.

Breuitas Epigrammatis ferè constat binis, ternis, quaternis, quinis summum distichis: licèt apud Martialem, & Catullum, longius vno disticho vnum vel alterum inueniatur.

Epigramma constans solis hexametris est sexagesimumquartum libri sexti apud Martialem;

quàmuis Epicæ poësis, hoc est, heroicæ Epigramma particula sit. Hinc carmen Epicum, id est, Hexametrum propriè dicitur. Pleraque de Epigrammate, ac reliquis sequentibus Poësis speciebus adolescens ad verbũ summutuatus ex Bibliotheca selecta P. Antonij Posseuini, qui inter Scriptores Societatis Iesu multis nominibus eminet.

DE ELEGIA, ET ODE.

ELEGIA (quatuor syllabarum pen. prod.) est carmen miserabile, ab ἐλεῶ, misereor, quòd hoc potissimùm genere carminis hominum ærumnæ, & amoris querimoniæ soleant decantari; quanquàm postea rebus etiam lætis seruire didicerit. Ex Calepino. Elegeia etiam pen. corr. quinque syllabarũ, propter solutionem diphtongi Græcæ scribitur, vt ἐλεγεία.

Romani id genus carminum, quod cum lamentatione adcanitur mortuis, næniam dixerunt. Hinc Epitaphia quoquè defunctorum, elegis versibus conscribuntur.

Elegorum Author petatur ex Horatio, qui in Arte sic scribit:

Quis tamen exiguos elegos emiserit author,
Grāmatici certant, & adhuc sub iudice lis est.

Licèt nonnullis ab Theocle Naxio, seù magis Erythræo manasse placeat, dum per amoris insaniam vociferaret αἰ αἰ αἰ. Alij ab ea quidem particula dictam non negant: verùm quam non Theocles, sed Phrygiæ Rex Midas emiserit, quando matri iusta persolueret; adiectisque aliquot literis inde Elegiam vocitatam. Ego quoquè non negarim, Midam in funere matris eius vocis primam syllabam sæpius emisisse, vt dicunt: sed non desino ab his, vel à Parrasio maximè percontari, Qua gratia non scribatur Elegia neque à nobis, neque à Græcis per Αἰ, sed per E tantùm?

Finis Elegiæ est questus siuè lamentatio. Officium ergo Elegiographi erit dicere tam flebiliter vt audiaris animumq́ ad pietatem moueat. Estque Elegia pars Epicæ. Nec propterea, quòd elegi versus ad flebilis tibiæ vtricularis sonum canerentur, Melicæ, & non Epicæ poësis sunt. Elegia enim chorum non habet, quem Melica requirit. Neque quod canitur, Melicum est: cum Heroicum Poëma ad citharæ sonum caneretur.

Sed quemadmodùm Ode ad res lætas refertur, ita Elegia ad tristes. Ode Lyricis versibus mandatur, Elegia verò elegis. Item Elegia est audacior, quæ bella attingere audeat: at Ode verecundior; aut si quando aliquid ausa est, se ipsam reuocat ac re-

reprehendit. Sæpè etiam in Ode,quæ liberior & facilè digreditur, & in qua principium sæpè ducitur ab honorifica appellatione eius, cui inscribitur, aut mittitur, fit mentio Lyræ, citharæ,barbiti, tibiæ: in Elegia non item, nisi rarò, in qua genus dicendi non nimis graue,neque magnificum, sed potiùs tenue, elegans, & pellucidum. Porrò etsi querimonia erat propriè Elegiæ materia, latiùs tamen patuit deinceps ad gratulationes, cohortationes, consolationes, historias item,& fabulas. Huius clausula insignis est,quæ inscriptionem alicuius aut sepulcri, aut doni complectitur; quæ sanè in mortem Domini, in martyrijs Sanctorum, in anima Deum sitiente, in virtute celebranda, in Epinicijs, & Epicedijs virorum,qui pro Catholica fide occubuerunt, & alijs sexcentis, locum habet insignem.

In Elegia rarò adhibentur hæ dictiones, Quis, qui, quæ, cui, quem, & in fine Pentametri,Meus, tuus, suus, sibi. Nam loco Quis vel qui, si Anastrophe fiat, melius.

Elegorum Scriptores potissimùm gaudere debent exemplis, & similitudinibus.

Denique Ode nihil aliud est, quàm apta verborum cõpositio cum harmonia, hoc est, lyrico concentu, sub certo numero, ac determinata mensura.

Ode latinè sonat cantionem, cantilenam, modulum, cantiunculam, canticum, cantum.

DE

DE EPOPOEIA.


EPOPOEIA, Ἐποποιΐα, idest, versuum contextus, carminum compositio, carmen, versificatio, poësis. Suid. narrationem interpretatur heroico carmine complexam, & quæ fabulis caret. Epopœiæ tractatio sita ferè est omnis in inueniendo, in collocando, in orando. Eius materia ex Arist. debet esse vnius actio insignis tota atque perfecta.

Leges Poëticæ eædem cum illis Picturæ, quæ sicut & Poëtica pro fine habet vtilitatem, & iucunditatem. adiunge honestatem; nam castum (inquit Plato) decet esse Poëtam, pium: nec lutulentas sues, & spurcos canes imitari conuenit. Estque Poëtica ex eodem Platone quadruplex, sicut & Pictura, diuina scilicet, naturalis, moralis, & fabulosa. Diuina, inquam, nam boni Poëtæ, & Pictores quædam naturæ miracula sunt, cum potiùs nascantur, quàm fiant; ideòque ab eodem Platone Poëtica tribuitur diuino cuidam numini, vt in dialogo, qui Ion inscribitur. Quamobrem artem esse negat, quam non tam industriâ & labore, quàm diuino afflatu comparatur. Aristoteles verò naturalem quidem etiam esse dixit, sed tamen quæ arte iuuari queat & perfici. Diuinam

attẽtarunt imitari Orpheus, Musæus eius discipulus, alijque Græci antiquiores: sed hi vt liquidam cælestium rerum notitiam non hauserant, poeticam ipsam contaminarunt. Naturalis fuit Empedoclis, Nicandri, Oppiani, Arati, Lucretij, Pontani, Fracastorij, & reliquorum. Moralis, Phocylidis, Pythagoræ, Theognidis, & aliorum. Oeconomica poësis, Hesiodi, & Virgilij in suis Georgicis. Politica siuè ciuilis, Solonis, Tyrtei, &c. Et alia, vti Epica, Lyrica, Comica, Tragica, Epigrammatica.

Inter Ethnicos Poëtas primas tulit Virgilius, quem cum Homero alij, Ludouicum Ariostum, & Torquatum Tassum cum Virgilio contulerunt.

Iul. Cæs. Scaliger lib. 3. de Arte Poëtica cap. 47. Virgiliana carmina ad hoc musicum exemplum modulari nos docuit.



Arma virumque cano Troiæ qui primus ab oris.

DE
CENTONE.

SCRIBENTIVM duo sunt genera: alterum eorum, à quibus res ipsæ inueniuntur: alterum illorum, qui quod scripturi sunt, ab alijs sumunt. Quod genus in duas partes iterum diuiditur. Quia qui ab alijs res accipiunt, vel suis verbis eas exponunt, vel ad sententias suas aliorum verba transferunt atque traducunt, id quod ad eos pertinet, qui Centones conscribunt.

Cento igitur, ex Ausonio, est varijs de locis sensibusque diuersis quædam carminis structura, in vnum solidata versum, vt coeant, aut cæsi duo, aut vnus, & sequens cum medio: Nam duos iunctim locare ineptum est, & tres vna serie, meræ nugæ: Necessitas quandoque coget ad retinendam carminis integritatem & gratiam, vt cæsuras, ac dimensionis figuras adhibeamus; & interdum, M, literâ finitæ voces, non modò insequente vocali non sorbentur, sed productæ persistare possunt, vt priscè.

Græcis κέντρων appellatur additâ literâ, ρ quam Latini abijciunt. Extant adhuc Homerocentones Eudociæ Leonis Atheniensis philosophi filiæ, ac Theodosij Imperatoris coniugis, & Virgiliocentones Probæ Falconiæ Centonæ clarissimæ fœminæ

Adelphi proconsulis vxoris à D.Hieronymo comprobatæ.

Probæ Vatis Cento è Virgilij Carminibus.

DE NATIVITATE IESV CHRISTI.

e. 8 Iamque aderat promissa dies, quo tempore primùm is

eodem Extulit os sacrū diuinæ stirpis imago e. 5

Missa sub imperio, venitque de corpore virtus. eodem.

g. 4 Mixta Deo, sobijcque cari genitoris imago. e. 11.

Instituit poetriæ Falconiæ vestigijs hac nostra ætate Petrus Angelus Spera Pomaricanus Sacerdos verè amicus & eruditus, qui in hoc scribendi genere immortalem sibi gloriam peperit. quique suo tertio de Passione D. N. Iesu Christi Virgiliocentonis libro ex eo quòd responderunt Iudæi, Christū debere mori, quia Filium Dei se fecit, hæc carmina contexta, quasique consuta reposuit:

Aen. 8. Contra autem, magno, & multo clamore sequuntur: 9. Aen.

Aen. 2. (Exegit cœcos rabies) Quaque improbus iste 9. Aen.

Aen. 11. Morte luat: manibus hominum perijsse iuuabit 3. Aen.

Aen. 2. Infandum, veterisque Dei se more tenentem. 7. Aen.

Vtinam ego auguralem meum Centonẽ ex VI. Æneidos, quem, interrogatâ & respondente Sibyllâ, acrosticis versibus N. exhibebam III. Idus Iun. M. DC. XLVI. hic possem modò appingere. Sed: Secreti cælant calles, Ne quære doceri. Talis fuit Centonis conclusio.

Cento pars est Rapsodiæ Ethnicæ expositionis, de qua Sixtus Senensis.

De variationibus Hexametri versus.

HExameter versus in duas partes secari potest, quarum vna communibus pedibus; proprijs altera constat. Proprij enim sunt dactylus & spondæus in quinta & sexta sede. Communes sunt quatuor priores, quorum variationes notandæ erunt ex dictionibus variatis. Variationes sunt sedecim.

I. Est, vt omnes quatuor sint spondæi.
II. In qua omnes dactyli.
III. In qua tres dactyli & vnus spondæus.
IV. In qua duo dactyli, & duo spondæi.
V. In qua dactylus primus & tres spõdæi.
VI. In qua duo spondæi & duo dactyli.
VII. In qua primus spondæus & tres dactyli.
VIII. In qua vnus dactylus, alter spondæus, tertius dactylus, & quartus spondæus.
IX. In qua primus spon. secundus dact. tertius spon. quartus dact.
X. In qua duo dact. tertius spon. & quar-

XI. In qua vnus dact. duo spon. & quartus dact.

XII. In qua vnus spon. duo dact. & quartus spon.

XIII. In qua vnus spon. alter dact. tertius & quartus spon.

XIV. In qua primus dact. alter spon. & duo dact.

XV. In qua tres spon. & quintus dact.

XVI. In qua duo spon. tertius dact. & quartus spon.

De Heterophonia quorundam populorum.

HEterophonia græcè sonat diuersitatem vocis. Hinc Galli canunt, Germani vlulant, Hispani lamentantur & flent, Itali contemplantur, Pœni gemunt & singultiunt, Æthiopes, & Arabes balbutiunt, & clangunt, alij alio delectantur sono, quisque suum probat.

De Poëmatis stylo.

POëmatis styli genera tria sunt: aut enim actiuum vel imitatiuum, Grecis δραματικὸν dictum, in quo solæ personæ agunt, absque Poëtæ interlocutione, vt sunt Tragœdiæ, & Comœdiæ. Aut enarratiuū, quodque Græci διηγηματικὸν appellant, in quo Poëta ipse sine interpositione personæ loquitur, vt tres primi Georgicorum libri; item

Lu-

Lucretijs carmina. Aut commune & mixtum, grçcè μικτον, vbi & poëta ipse loquitur, & introductæ personę, vt est Virgilij Aeneis Exegematicus stylus, hoc est, enarratiuus reperitur etiam in illis duabus Virgilianis Eclogis: Sicelides Musæ, &c. Prima Syracusio, &c.

DE
TRAGOEDIA.

TRAGOEDIA, ex Theophrasto, est heroicæ fortunæ narratio, vel, Tragœdia est imitatio per actiones illustris fortunæ exitu infelici, oratione graui metrica. Scaliger lib. de Poëtica.

Tragici poëmatis subiectum & materia est dolor, lacrymæ, odium, insanæ cædes. Propterea iambica rabie ferueſcit carmen tragicum. in quo primas obtinet Sophocles, & Euripides, qui Sophoclem imitatur, & multa carmina de Sophocle in suum transtulit poëma.

Tragœdia genus poëmatis est grande & plenũ, in quo heroes, duces, & reges habentur. Vnde Ouidius, Omne genus scripti grauitate tragœdia vincit. Et in hoc differt à Comœdia, in qua humiles

miles & priuatæ personę introducuntur, anxijque amores, ac virginum raptus habentur.

In Tragœdia tristes sunt exitus, immò totum argumentum est luctuosum: in Comœdia verò semper iucundus & lætus finis, sed initium turbulentum.

Duplex Tragœdiæ dos, scilicet vt animis misericordiam ingeret atque terrorem.

Tragici Poëtæ officium est docere, delectare, mouere. Docet aliquas infelicitates, & fortunam esse mutabilem, ne nos rerum mundanarum fidamus prosperitatibus. Delectat, præter versus, dicendique ornatus lenitatem, cantu choreaque: Mouet, vt iam diximus, ingerendo animis misericordiam vel terrorem.

Tragœdiæ finis ex Arist. est cum delectatione passionibus animum liberare.

Quod in Oratione exordium, Procœmium in cæteris, Prologus dicitur in Comœdia, Prologusq; sed latè sumptus in Tragœdia appellatur. Aliqui Prologum à Tragœdia exterminant, & tunc loco ipsius Prologi erit primus actus.

Vtilitas ex Tragœdijs multa, vt carminis nitor: elegans, & venusta dicendi copia; cognitio rerum varia, &c.

Quot debeant esse actus, prescribit Horatius:

Neue minor, neue sit quinto productior actu.

Actum vltra scenam septimam non extenderunt veteres.

Aeschylus primus tragœdias edidit; deinde So-

Sophocles, & Euripides illustrarunt; apud Latinos Pacuuius; & Ouidius ex Quintiliano in hoc genere Medeam scripsit: sed his perditis, solus restat Seneca.

Tragœdiæ gloria ea fuit, vt nemo, nisi qui Athenis probatus esset, poëtæ nomine dignus censeretur.

DE
COMOEDIA.

COMOEDIA est imitatio vitæ, speculum consuetudinis, & imago veritatis. Cicero. vel, Est fabula diuersa instituta continens affectuum ciuilium, ac priuatarum rerum, qua discitur, quid sit in vita vtile, quid contra euitandum. Donatus, vel, Est fabula quædã ciuilis priuatæque vitæ imaginem velut in speculo repręsentans. Calepinus.

Comœdiæ autem aut motoriæ sunt, aut statariæ, aut mixtæ. Motoriæ, turbulentæ: statariæ, quietiores: mixtæ ex vtroque actu consistentes.

Comœdia per quatuor partes diuiditur, prologum, protasin, epitasin, catastrophen.

Prologus est velut pręfatio quędam fabulæ, in quo licet pręter argumẽtum aliquid ad populum vel ex poëtæ, vel ex ipsius fabulæ, vel ex auctoris commodo loqui.

Protasis primus actus est initiúque dramatis.

Epitasis, incrementum turbatum, ac totius erroris motus.

Catastrophe conuersio rerum est ad iucundos exitus patefactâ cunctis cognitione gestorum.

Comœdia multas habet species: aut enim palliata est, aut togata, aut tabernaria, aut attellana, aut mimus, aut rhyntonica, aut planipedia. Planipedia autem dicta ob humilitaté argumenti eius ac vilitatem actorum, qui non cothurno aut socco vtuntur in scena aut pulpito, sed plano pede.

Omnium scripta comœdiarum ex quatuor rebus omninò sumuntur: nomine, loco, facto, euentu: nomine, vt Phormio, Hecyra, Curculio, Epidicus: loco, vt Andria, Leucadia, Brundusina: facto, vt Eunuchus, Asinaria, Captiui: euentu, vt Commorientes, Crimen, Heautontimorumenos.

Comœdiarum formæ sunt tres: Palliatæ græcum habitum referentes: quas nonnulli tabernarias vocant; Togatæ iuxta formam personarum habitum togatum desiderantes: Attellanæ salibus & iocis compositæ, quæ in se non habent nisi venustam elegantiam.

Veteres solebant ponere in scena duas aras, dexteram scilicet Liberi, & sinistram eius Dei, cui ludi fiebant; nam incensis iam altaribus, & admoto hirco, id genus carminis sacer chorus reddebat Libero patri, hoc est, Baccho, vel Dionysio vini repertori. Græci poetæ choros adhibebant ad distinguendos actus: Latini tibias adhibuere in comœdia

mœdia graui dextras, in leui sinistras. Quare graue sonum dextræ, acutum sinistræ emittebant, vt sono comœdiæ, vel leuitati, vel grauitati responderent. Quod vt fieret commodiùs, impares fiebant dextræ, hoc est, vnico foramine; sinistræ pares & geminæ, vt cum duobus foraminibus exiret sonus distractus, & diffectus acutior ad aures perueniret. Adhiberi vtręque solebant, quum mixta è genere vtroque erat comœdia.

Initium Comœdiæ, & Tragœdiæ à rebus diuinis est inchoatum: quibus pro fructibus vota soluentes, operabantur antiqui. Tragœdia ex eo dicta est, quòd primum eius poëmatis præmium hircus fuerit, aut certè vter hircinus vino plenus. Comœdia à vicis, vel à Como, lasciuiæ & comessationis deo. Ex Calep. Atheneus verò lib. 2. ait, vtramque repertam fuisse eo ipso tempore, quo vindemia fiebat.

Homerus fecit Odysseam ad imaginem Comœdiæ, Iliadem instar Tragœdiæ.

Fabula generale nomen est. Eius duæ primæ partes sunt Tragœdia, & Comœdia.

Liuius Andronicus Comœdiam & Tragœdiam primus reperit, vocatque Comœdiam quotidianę vitæ speculum, quę à Græcis Romam traducta est.

Membra Comœdiarum tria sunt, quibus priscę texebantur: Diuerbium, Canticum; Chorus. Personæ Diuerbiorum aut duæ, aut tres, aut rarò quatuor; ideò ait Horatius, Nec quarta loqui persona laboret. Nam vltra augere numerum non

li-

licet. In canticis vna tantùm debet esse persona aut si duæ fuerint, ita esse debent, vt ex occulto vna audiat, nec loquatur nisi secum. In Choris non est personarum numerus definitus.

Geminatæ fabulę dicuntur illæ, quę vnà cum priuatis & abiectis personis heroicas atque diuinas introducunt. Vndè Tragicomœdiæ appellatæ.

Comicus introducit Equites, Doctores, Medicos, mercatores, agricolas, seruos, parasitos, meretrices, lenones, senes, adolescentes, iuuenes, matresfamilias, dominas, nutrices, vxores, famulas, nurus, socrus, maritos, filios, nationes. Naturaliter Gręci sunt leues; superbi Itali; ingeniosi Siculi; inepti Galli; Cenodoxi Hispani; callidi Africani.

Iocandi licentia in Comico modum habeat atque mensuram.

Res comicę vnius sint diei, vel ad summum duorum.

Puellę non apparent in Comœdia, sicuti in Tragœdia, & si aliqua introducitur, velut in Plautina Poësi videmus, non autem in Terentiana, facta est ancilla.

Nuptę in Comœdia sunt honestę: in Tragœdia impudicę.

Senes in Comœdia, non autem in Tragœdia amore ideò capiuntur, quia senis amor excitat risum, quem tantoperè in Tragœdia abominamur, quantoperè in Comœdia expetimus.

Co-

Comicis senibus candidus vestitus attribuebatur: Adolescentulis discolor: serui comici amictu exiguo contegebantur, paupertatem præseferendo antiquam, aut quò forent expeditiores: Parasiti cum intortis pallijs ad collum veniebant: Læto, vestitus candidus: Aerumnoso obsoletus: Purpureus diuiti: Pauperi phœniceus dabatur: Militi chlamys purpurea: Puellæ habitus peregrinus: Lenoni varij coloris pallium: Meretrici, ob auaritiam luteus amictus.

Descriptio Romani & Græci Theatri.

1. Scena. 2. Pulpitum. 3. Chorus. 4. Proscenium. 5. Orchestra. 6. Caueæ & cunei. Scenam pulpito, pulpitũ proscenio superius habebant. Sed præcipuæ eius partes duæ sunt, Scena & Cunei. Scena triplex est, tragica, comica, satyrica. In scena tres partes, media vbi regiæ aulæ, sinistra, & dextra vbi humiliora ædificia. In scena item Episcenia, parascenia, hyposcenia, proscenium, pulpitum, machinę, aræ, ἐσχάρα, columnę, & alia pleraque.

Ingressus. A sinistra, venitur à ciuitate, à dextra rure.

Monitores in Scena erant, qui actoribus verba suggererent, si forte memoria laberentur.

DE
SATYRA.

SATYRA fabula fuit, in qua non heroes aut reges, quod tragici faciunt, sed Satyri ludendi iocandique causâ inducebantur; simul etiam vt spectator inter res graues ioco ac lusu aliquo reficeretur.

Satyra itaque à Satyris nemorum numinibus dicta est.

Sed quomodo Satyri in comœdiam introducerentur, exemplum non habemus.

Fabulę huius, personę ex Iulio Polluce, Satyrus tum canus tum barbatus, & Silenus Bacchi nutritius & pædagogus.

Hęc fabula, quę poësis pars est scenicę, agebatur in theatris, sicut & tragœdia, atque comœdia.

Huius scena ex Vitruuio, ornabatur arboribus, speluncis, montibus, reliquisque agrestibus in tôpiarij speciem deformatis.

Theatrales omnes fabulæ vno nomine Satyræ ab historicis nostris appellatæ fuerunt.

Descripta Satyra, auctoribus Liuio atque Valerio Maximo, primùm apud Romanos cantu motuque congruenti peracta fuit.

Satyrici habitus: alij vestiebantur pellibus caprinis, aut ceruinis, vel alterius animalis, aureà

pur-

purpurâ consutis & fimbriatis: alij exiguis perlucidi coloris habitibus: villosis cycladibus alij: prout auctoris ætas & qualitas postulabat. Baccho versicolores tribuebant habitus. Pan ceruinâ pelle induebatur stelliferâ.

Satyra etiam, vt Festus inquit, cibi genus fuit ex varijs rebus conditum: & lex multis alijs confecta legibus: & genus carminis vbi de multis rebus disputatur, quodque sanè maledicum fuit, & ad carpenda hominum vitia inuentum.

Ex quibus cum Domitio Calderino breuiter & clarè agnoscimus duo Satyrarum genera: alterum antiquitus tam à Græcis, quàm à Latinis vsurpatũ: & recentius alterum, quod ab antiquiore ortum est & à Latinis tantùm excultum. Prius illud sola varietate carminum constat, personisque introductis, comœdiæ par, sed maiore lasciuit licentiâ salibusque & iocis absoluitur. Satyris igitur introductis Satyra nomen accepit: quam appellationem hæc recentior seruauit: & ex licentia illa veteri Satyrorum in apertam hominum reprehensionem & obiurgationem exiuit, mutato carminis colore & numeris; nam in hexametros assurgit, cùm prior intra iambicos & eius generis versus contineretur. Legatur Decius Iunius Iuuenalis Aquinas, qui non minus laudis adeptus est, quàm Lucilius; aut Horatius, nisi fortè magis Latinam Satyram illustrauit.

DE PAROEMIA, ET PARABOLA.

PAROEMIA est accommodatum rebus temporibusque prouerbium. Ita Donatus, quem sequitur Beda. Estque Paroemia, vt idem scribit Donatus, sine auctore sententia.

Prouerbium, quod in ore debet versari, modò est simplex, hoc est, clarum: vt, Obsequium amicos, veritas odium parit; Ter. Modò obscurum, & aliud significans, quàm verba denotare videantur: vt, Equus Seianus, qui significat homines calamitosos. v. g. cum dicimus, Tibi est Equus Seianus, vel tu habes Equum Seianum, id est, Tu es calamitosus. Ex A. Gellio lib. 3. cap. 9. Et Cic. de Senect. Pares cum paribus, veteri prouerbio, facillimè congregantur.

Hoc nomine Græci appellarunt librum Parabolarum Salomonis.

Conducit autem Paroemiarum cognitio cùm ad alia permulta, tùm potissimùm ad quatuor; ad philosophiam, ad persuadendum, ad decus & gratiam orationis, ad intelligendos optimos quosquè authores, &c.

Quod Arist. in Rhet. de adhibendis Epithetis admonuit, id nos in vsurpandis adagijs obseruare debemus: nempè vt illis nos vtamur non tanquàm cibis, sed veluti condimentis, idest non ad satietatem, sed ad gratiam.

Adagium potissimum locum habet in soluta oratione; in Epistolis tamen Familiaribus licebit paullò liberiùs hoc genere ludere: in oratione seria sicuti parciùs, ita etiam accuratiùs adhibenda sunt prouerbia.

Pleraque prouerbia metaphoram habent admixtam. Reliqua videantur apud Manutium initio libri Adagiorum.

Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conseruabit, & in versutias parabolarum simul introibit. Occulta prouerbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conuersabitur. Ecclesiastici 39.

Parabolico dicendi genere ad plebem Dominū nostrum vsum esse, Euangelia testantur. Hunc morem à Syris, & præcipuè Palæstinis in omni ferè sermone fuisse seruatum, diuus Hieronymus in suo super Matthæum commentario affirmat.

Parabola per figuras & similitudines docet nos vitia vitare, scelera fugere, virtutes amplecti. Legantur quinquaginta Marci Marnli luculentissimæ Parabolæ.

DE IMITATIONE.

IMITATIO, quæ naturam alienis bonis auget, artem exemplis illustrat, exercitationem quasi pabulo quodã alit atque sustentat, non modò à statuarijs, pictoribus, ceterisque artificibus, verùm etiam à Scriptoribus cuiusque generis retenta & culta est. Certè huius virtutis beneficio diligenter Latini Scriptores ferè Græcorum gloriam non solùm adæquarunt, sed interdum superarunt.

Qui tamen in aliquo genere vult esse perfectus, vnum deligere debet authorem, quem sequatur, eum videlicet, qui in eo genere omnibus excellat, non tamen omnes; nam sic multos sequens, monstrum aliquod effingat, necesse est, ex diuersissimis naturis, facultatibusque conflatum. Exempli gratiâ in eloquentia nobis solus Cicero est imitandus, qui omnes omnium Oratorũ virtutes vnus complexus est: illud autem vitandum, ne cum M. Tullius in multis dicendi generibus floruerit, imitationis studio in diuersum genus rapiamur. Quare vt in scribendis Epistolis epistolas, in Dialogis dialogos, ita in Orationibus orationes nobis proponemus ad imitãdum; sua enim cuique pro-

posita

posita lex, suus cuique decor. Imitandi autem ratio in inueniendo, collocando, eloquendo potissimùm cernitur. Obseruandum itaque, quã callidè M. Tullius artis præcepta tenuerit; cognitâ enim & perspectâ causâ, quæ à Cicerone tractatur, licebit eius consilia, progressiones, exitus notare, in inueniendo acumen, in collocando prudentiam, in dicendo varietatem & copiam obseruare; & hęc gradatim. Nacti autem cõsimilem causam, & si non totam aliquam Ciceronis orationem, partem certè aliquã imitari possumus, vt huius principiũ, illius narrationem, confirmationem item, aut perorationem, aut aliquam minorem partem. Quod fecit Virgilius in Homeri imitatione, quam Macrobius. 5. Saturnal. cap. 2. diligenter exponit: & Cicero, qui Demosthenem imitatus est. Ergo de verbo in verbum ab exteris authoribus sumere, quemadmodùm à Græcis Latini, & ab vtrisque nostrates sumpserunt, fuit semper, eritque omni tempore laudabile. Non tamen vnquam laudandus qui quod à sua gente sumpserit, vt Italus ab Italo, Gallus à Gallo, Hispanus ab Hispano; nisi suum quisque ita proprium sibi redderet, vt non ampliùs alienũ appareret. In hoc enim scribentis laudatur industria, cui similitudo est cũ illa apum, quæ sic florum suauitatem in mellis dulcedinem cõuertunt, vt nihil illorum præterea cognoscatur.

Item quod ad elocutionis imitationem attinet, Paulus Manutius epistolâ ad Stephanũ Saulium, cùm Longolium perstrinxisset, qui totas Ciceronis

periodos in sua scripta transferret, duas tradit huius imitationis vias: Vnam sententiarum, cum praeclara aliqua sentẽtia alijs verbis ornatur atque vestitur: alteram verborum, cum illustris aliqua locutio in alias atque alias res transfertur. Locutionis autem nomine etiam translationes, allegorias, cæterasque tropos interpretor. His addi potest tertia imitandi via, cum & verba & sententiæ retinentur, sed ita vt aliquid addas, atque detrahas, aut cõmutes. Legendus est Macrobius lib.6. cap.1. vbi, cum demonstraturus esset, quomodo Virgilius Latinos esset Poëtas imitatus; hunc lectionis esse fructum vel maximum docet; vt quæ eleganter ab illis dicta sunt, aptè in nostra scripta transferamus. Licet etiam interdum imitari ex contrario, cum præclaram aliquam sententiam in contrariam partem conuertimus, vt, illud quod est in Orat. Cum gratiæ causâ nihil facias, omnia tamen sunt grata, quæ facis. Hæc ad eius similitudinem conformatur: Cùm gloriæ causâ nihil facias, omnia tamen sunt gloriosa quæ facis. Quæ quidem sententia etiam in verborum sententiarumque luminibus exprimendis cernitur, licet enim præclaras figuras eadem ratione imitari, sed non furari. De reliquis consule Quintilianum lib. 10. cap.2.

APHTO-

APHTONII CLARISSIMI RHETORIS

Ab ANTONIO BONFINIO Asculano Piceno, Philosopho ac Historico clarissimo traducti, Praexercitamentorum vnà cum exemplis Paraphrastica methodus per Io. Bapt. Conradum conciuem.

MINORA dicendi facultatis opera, iuxta Quintiliani consilium, in quibus priùs adolescentes exercendi sunt, quatuordecim: Fabula, Narratio, Chria, Sententia, Confutatio, Confirmatio, Locus communis, Laudatio, Vituperatio, Comparatio, Ethopœia, Descriptio, Thesis, Legislatio.

DE FABVLA.

FAbula è Poëtis promanauit, & à verbo Fari ex Varrone nomen habet.

Fabula est falsa oratio veritati similis.

Fabularum dispositio sumitur à natura animalium, & locis, in quibus versantur. v. g. si quis vellet ostendere aliquem suæ pulchritudinis iactatorem, Pauo fabulæ subiectum præbebit: Si astutum, Vulpes: Si aliorum imitatorem, Simia.

Rhe-

Rhetores vtuntur fabulis,pueros alliciendi causâ: Oratores argumentorū loco, vt persuadeant; sic Menenius ille Arippa, qui, recitatâ conspiratione membrorum in ventrem, plebem Romanam placauit, Senatuique reconciliauit.

Inter antiquos Hesiodus vsus est fabellâ lusciniæ, Archilocus vulpis, Horatius muris.

Fabula secundùm inuentores sortitur nomina, vt Sybariticæ, Ciliſſæ, Cypriæ. Vsus tamen obtinuit, vt potiùs ad Æsopum referretur, quippe qui optimè omnium fabulas conscripsisse dicitur.

Fabularum alia rationalis, alia moralis, alia mixta. Rationalis est,in qua quid faciens aut dicens homo fingitur. Moralis est, in qua irrationalium mores imitamur. hoc est, quæ de moribus animalium ratione carentium agit. Mixta,quæ ex vtrisque, rationali scilicet & irrationali efficitur.

Fabulæ bipartitò narrantur, videlicet strictim & diffusè. Strictim, si summam fabulæ breuiter narramus. v. g. Simiæ conuenerunt, & de vrbe condenda consultarunt, ex quibus vna cæteris iunior suasit vrbem esse condendam, altera verò senior dissuasit. Sic breuiter narrabis. Diffusè narramus: Si non solùm fabulam summatim narramus, sed etiam & personis & animalibus introductis sermonem accommodamus. v.g. Si introduceres Simiam iuniorem habere orationem artificiosam ad persuadendum quod intendit. Et seniorem illi vicissim respondere.

Fabulæ simplici,& purâ & clara elocutione proferantur.

Mo-

Monitionem seù Allusionem, cuius causâ fabula constituitur, si præposueris, Promythion appellabis, idest Præfabulare, Præfabulamentū, quasi primam fabulæ partem. Si verò postposueris, Epimythion, hoc est, Adfabulationem vel Affabulamentum.

EXEMPLVM.

Fabulæ Cicadarum & Formicarum breuiter narratæ.

FEruente iam æstate musicum concentum cicadæ efferebant. Formicas labor & magna legendi fructus cura inuaserat, quò hyeme nutriri possent. Subeunte iam brumâ, formicæ pro quo tantoperè insudauerant, frumenti aceruo pascuntur. Cicadas perniciosa voluptas ad inopiam redegit. Sic iuuentus in florida ætate subterfugiens laborem, in senectute subire cogitur egestatem.

Potest etiam Fabula dilatari, Ab Autoris laude, A Præfabulari, A Natura illius animalis, A Sermocinatione per prosopopœiam, A Collatione, A Contrario, deinde ponitur Conclusio.

Fabula generis est Deliberatiui, licèt secundùm Bonfinium possimus etiam eâdem vti in Iudiciali & Demonstratiuo.

DE

DE NARRATIONE.

NArratio est rei gestæ vel tanquam gestę expositio.

Narratio à Descriptione differt, vt à poësi poëma. Poësis enim tota Ilias: poëma est vt armorum Achiliis approbatio explicatioue.

Bonfinio Aphtonium sequuto tres sunt species Narrationis, Argumentum, Historia, Negotium ciuile. Rodulpho Agricolæ dicuntur hæ species, Poëtica, Historica, Ciuilis. Alijs sunt sex, Fabulosa, Fictilis, Historica, Ciuilis, Digressoria, & Actiua.

Narratio Fabulosa est, quæ neque veras neque verisimiles res continet, quales sunt narrationer Aesopeæ, & Poëticæ.

Fictilis non veras, sed verisimiles res continet, talia sunt argumenta Comœdiarum.

Historica complectitur res quidem veras, sed ab ætate nostra remotas, eiusmodi sunt narrationes Liuianæ, & aliorum Historicorum.

Ciuilis agit de re facta inter ciues. Et hac vtimur creberrimè in genere iudiciali.

Digressoria, qua Orator digreditur à re, quam iam incepit, & aliquid aliud interijcit, vt eam rem, de qua agit, meliùs confirmet, aut laudet, aut pro causa vituperet.

Actiuâ aliquid narratur ex affectu animi, vt apud Comicos, quando introducuntur personæ aliquid narrantes ex lætitia, ex dolore, ex iracundia & huiusmodi affectionibus.

Narra-

Narrationi ſex accidunt, Perſona agens, actum negotium, tempus ſecundum quod, locus in quo, modus quomodo, cauſa per quam. Quæ circunſtantiæ hoc verſiculo comprehenduntur: Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Narrationis virtutes quatuor ſunt: Diluciditas ſeu claritas, breuitas, veriſimilitudo vel probabilitas, & in nominibus propria linguarum ratio, hoc eſt, electorum verborum proprietas.

Narrationes explicantur quintupliciter; Per rectum, per obliquum, per conuectiuum, per comparatiuum, & diſſolutiuum.

Per rectum, quando incipit à recto: vt, Bonifacius, ciuis Romanus, quòd cum Aglaë nobili matrona impudicè verſatus eſſet, tanto illius intemperantiæ dolore captus eſt, vt pœnitentiæ causâ ſe ad conquirenda & ſepelienda Martyrum corpora contulerit. In eius vitâ Pridie idus Maij. Per rectum enim omnia ferè dicuntur.

Per obliquum, quando ab obliquo: vt, Nicolaum, illuſtri loco Pataræ in Lycia natum, parentes à Deo precibus impetrarunt. In Breuiario VIII. Idus Decemb.

Per modum conuictiuum, quando per interrogationem ita narramus, vt aduerſarios conuincamus, & rem ipſam fateri cogamus. Hoc modo, Nonne Iudas Chriſtum tradidit? Nonne IESVM Saluatorem mundi triginta argenteis vendidit?

Per modum comparatiuum, quando per comparationem oſtendimus id non eſſe factum, quod

na-

natura & hominum consuetudo postulat: vt, Iudas, qui Christi Apostolus fidem seruare debuit, auaritiâ victus suum vendidit præceptorem.

Per dissolutum propter sublatas coniunctiones celeriter narramus; vt, Iudas Christum osculo excepit, Redemptorem prodidit, Magistrum vendidit.

Rectus Historicis magis, ac Oratoribus, & poëtis conuenit. Obliquus certaminibus Oratorijs magis quadrat. Conuictiuus ad arguendum est perappositus. Dissolutus perorationibus maximè congruit. Comparatiuus potest omnibus aptari.

Narratio est generis Deliberatiui. Et iuxta Bonfinium potest adhiberi etiam in reliquis, vt de Fabula.

Exemplum Narrationis Fabulæ de rosa.

QVi rosæ pulchritudinem admiratur, eum Veneris plagam considerare oportet. Dea enim Adonem amabat, & Deam Mars, & quod Venus Adoni, id Veneri Mars præstabat: Deus Deam ardebat, & Dea hominem sequebatur. Cùm simile desiderium genus perturbaret, Deus nimiâ zelotypiâ laborans Adonem interficere statuit, ratus ex Adonis morte amoris solutionem futuram: proinde Adonem percutit. Hoc docta Venus iuuare contendit, ac nimio studio in rosam demissa in spinas concidit. Pedis planta grauiter perforatur. Sanguis è vulnere defluens rosæ colorem

lorem in proprium mutauit aſpectum. Roſam igitur à principio albam, in quod nunc videtis, hoc modo deuenit.

DE CHRIA VEL VSV.

CHria eſt, quæ breuem commemorationem in aliquam perſonam decenter refert. vel Chria eſt commemoratio breuis factum vel dictum alicuius perſonæ aptè referens.

Chria ab vtilitate in dicendo nomen accepit; vel ab vſu, quia maximè apud Oratores fit in vſu.

Chriæ pars altera in verbis, altera in rebus verſatur, tertia media dicitur, vel Chriarum alia verbalis ſiue orationalis, alia actiua, alia mixta.

Verbalis verbis oſtendit vtilitatem: vt, Plato virtutis ramos ex ſudoribus laboribuſque conſtare dicebat.

Actiua, actione vtilitatem repræſentat, hoc modo, Pythagoras, quanta eſſet hominum vita, interrogatus, breue quid oſtendens, ſe abſcondit. menſuramque vitæ breuem illum conſpectum fecit.

Mixta ſeu Media ex vtriſque oratione & actione conficitur, hoc modo: Diogenes puerum videns ſtulta agitantem, eius pædagogum verberauit, dicens: Cur hæc doces?

In exercitanda Chria his octo capitibus vtemur: Laudatione, paraphraſi hoc eſt interpretatione ſeù expoſitione ipſius Chriæ, ratione ſeu

causâ,

causâ, argumentatione à contrario, parabola hoc est comparatione siue similitudine, exemplo, antiquorum, testimonio, breuique epilogo.

Vtimur laudatione, quando summatim autorem illius facti vel dicti commendamus: vt, Cicero & sapiens & eloquens semper est habitus.

Vtemur expositione, quando alijs verbis idem dictum latiùs & clariùs explicamus.

Reddimus rationem seu causam, quãdo ostendimus, parentes charissimos nobis esse debere, quòd ab his vita, patrimonium, libertas, ciuitas tradita est. Cic. post redit. in Sen.

Vtimur argumentatione à contrario, quando docemus, pecunias imperijque libidinem esse quasi materiem omnium malorum. Sallust. in Catilinario.

Adhibemus parabolam, hoc est cõparationem, quando per similitudinem loquimur. v.g. Vt non satis est clauus, neque frænum, nisi adsit qui arte medeatur: ita non sufficit eloquentia ad moderandum populum, nisi accesserit sermonis moderatrix ratio. Plutarchus in Moral.

Adiungimus exemplum antiquorum, hoc modo: D. Paulus corpus suum castigabat & in seruitutem redigebat, &c. Corinth. 1. cap. 9.

Accedit eorundem veterum testimoniũ, quando adducimus authoritatem alicuius, qui idem dixerit & senserit; vt D. Hieronymus qui in epist. dixit; Nullum laborem durum, nullum tempus longum videri debere, quo gloria æternitatis acquiritur.

De-

Denique artificiosè concludimus Epilogo breui seu peroratione ex dicto siue facto alicuius sapientis, hortantes ad aliquid faciendum, vel à faciendo dehortantes.

Chria continetur sub genere Deliberatiuo; nec non in Iudiciali ex Bonfinio stare potest.

Variatur Chria ex Diomede Grammatico per sex casus.

Per Nominatiuum, vt D. Paulus 1. Cor. 6. scripsit Auaros regnum Dei non possessuros.

Per Genitiuum. Diui Pauli sententia est, Auaros, &c.

Per Datiuum. D. Paulo visum fuit dicere, Auaros, &c.

Per Accusatiuum. D. Paulum scripsisse scimus Auaros, &c.

Per Vocatiuum. D. Paule benè scripsisti, Auaros, &c.

Per Ablatiuum. A D. Paulo scriptum habemus, Auaros, &c.

Similiter in plurali, vt Apostoli dixerunt. Apostolorum fuit sententia. Apostolis visum est. Apostolos omnes ita sentire videmus. O Apostoli primi omnium hoc prædicastis. Ab Apostolis omnibus hoc fuit comprobatum.

EXEMPLVM VERBALIS CHRIÆ.

Argumentum.

ISocrates disciplinæ radicem amaram dicebat, fructus verò suauissimos.

A Laudabili.

ISocratis artem admirari par est. Hic enim nomen ipsi clarum ostendit, & quanta illa esset, exercendo demonstrauit, artemque magno præconio diffudit: non ipse ab arte prædicatus est. Quæcunque igitur vel regibus leges dando, vel quenque monendo, vt bonam hominum vitam formaret, philosophatus est, narrare longum esset. Sed quæ de disciplina disseruit, videndum est.

Expositio.

HIc disciplinæ opus à laboribus inchoat, qui in vtilitatem desinant, quæ vbi philosophatus est, hæc deinceps admiremur.

A Causa.

DIsciplinæ enim amatores à disciplinæ autoribus instruuntur: quos adire timor est, relinquere verò stultum. Semper enim pueros, & eos qui sunt, & qui erunt, timor circumuenit. Magistris pædagogi succedunt, & pro his haberi solent: qui cum aspectu formidolosi sint, verberando longè maiorem timorem incutiunt. Periculum timor antecedit, timorem pœna sequitur. Namque puerorũ delicta puniunt, domesticaque officia iudicant. Sed pædagogis patres longè videntur difficiliores: cum deambulare iubent, iter obser-

obseruant, & in foro quàm maximè: & si prohibere opus est, naturam ignorant. Inter hos igitur versatus puer, si inter homines prodierit, virtute coronatur.

A Contrario.

SI quis autem hoc timens, magistros fugiat, patres euitet, pædagogos auertat, omninò rationis expers erit: & dum metum fugit, orationibus disciplinisque priuabitur. Hæc omnia Isocratis sententia monet, amaram disciplinæ radicem referens.

A Simili.

SIcut enim qui terram colunt, cũ labore seminant, & cũ voluptate fructus legunt: ita disciplinæ autores post laborem gloriam adipiscuntur.

Ab Exemplo.

SI Demonsthenis vitam mihi definieris, quid aliud dices, nisi quoque oratore laboriosiorem, mox rhetorem factum, omnium oratorum fuisse clarissimum? Et quò plus studij præstitit, eò plus decoris & gloriæ sibi vendicauit, summum ornamentum à virtute ducens. Ea quidem laboribus impendit, quæ cęteri ad voluptates referunt.

A Testimonio.

PRoindè Hesiodum admirari oportet, qui asperam virtutis viam, summitatem verò facilem referebat, consimilem Isocraticæ sententiam philosophatus. Quam Hesiodus dixit, Isocrates vario nomine radicem vocauit: vterque vnam sententiam commentatus est.

DE PAROEMIA, ET PARABOLA.

PAROEMIA est accommodatum rebus temporibusque prouerbium. Ita Donatus, quem sequitur Beda. Estque Parœmia, vt idem scribit Donatus, sine auctore sententia.

Prouerbium, quod in ore debet versari, modò est simplex, hoc est, clarum: vt, Obsequium amicos, veritas odium parit; Ter. Modò obscurum, & aliud significans, quàm verba denotare videantur: vt, Equus Seianus, qui significat homines calamitosos. v. g. cum dicimus, Tibi est Equus Seianus, vel tu habes Equum Seianum, id est, Tu es calamitosus. Ex A. Gellio lib. 3. cap. 9. Et Cic. de Senect. Pares cum paribus, veteri prouerbio, facillimè congregantur.

Hoc nomine Græci appellarunt librum Parabolarum Salomonis.

Conducit autem Parœmiarum cognitio cùm ad alia permulta, tùm potissimùm ad quatuor; ad philosophiam, ad persuadendum, ad decus & gratiam orationis, ad intelligendos optimos quosquè authores, &c.

Quod Arist. in Rhet. de adhibendis Epithetis admonuit, id nos in vsurpandis adagijs obseruare debemus: nempè vt illis nos vtamur non tanquàm cibis, sed veluti condimentis, idest non ad satietatem, sed ad gratiam.

Adagium potissimum locum habet in soluta oratione; in Epistolis tamen Familiaribus licebit paullò liberiùs hoc genere ludere: in oratione seria sicuti parciùs, ita etiam accuratiùs adhibenda sunt prouerbia.

Pleraque prouerbia metaphoram habent admixtam. Reliqua videantur apud Manutium initio libri Adagiorum.

Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conseruabit, & in versutias parabolarum simul introibit. Occulta prouerbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conuersabitur. Ecclesiastici 39.

Parabolico dicendi genere ad plebem Dominũ nostrum vsum esse, Euangelia testantur. Hunc morem à Syris, & præcipuè Palæstinis in omni ferè sermone fuisse seruatum, diuus Hieronymus in suo super Matthæum commentario affirmat.

Parabola per figuras & similitudines docet nos vitia vitare, scelera fugere, virtutes amplecti. Legantur quinquaginta Marci Maruli luculentissimæ Parabolæ.

DE IMITATIONE.

IMITATIO, quæ naturam alienis bonis auget, artem exemplis illustrat, exercitationem quasi pabulo quodā alit atque sustentat, non modò à statuarijs, pictoribus, ceterisque artificibus, verùm etiam à Scriptoribus cuiusque generis retenta & culta est. Certè huius virtutis beneficio diligenter Latini Scriptores ferè Græcorum gloriam non solùm adæquarunt, sed interdum superarunt.

Qui tamen in aliquo genere vult esse perfectus, vnum deligere debet authorem, quem sequatur, eum videlicet, qui in eo genere omnibus excellat, non tamen omnes; nam sic multos sequens, monstrum aliquod effingat, necesse est, ex diuersissimis naturis, facultatibusque conflatum. Exempli gratiâ in eloquentia nobis solus Cicero est imitandus, qui omnes omnium Oratorū virtutes vnus complexus est: illud autem vitandum, ne cum M. Tullius in multis dicendi generibus floruerit, imitationis studio in diuersum genus rapiamur. Quare vt in scribendis Epistolis epistolas, in Dialogis dialogos, ita in Orationibus orationes nobis proponemus ad imitādum; sua enim cuique pro-

posita

posita lex, suus cuiquè decor. Imitandi autem ratio in inueniendo, collocando, eloquendo potissimùm cernitur. Obseruandum itaque, quã callidè M. Tullius artis præcepta tenuerit; cognitã enim & perspectã causã, quæ à Cicerone tractatur, licebit eius consilia, progressiones, exitus notare, in inueniendo acumen, in collocando prudentiam, in dicendo varietatem & copiam obseruare; & hęc gradatim. Nacti autem cõsimilem causam, & si non totam aliquam Ciceronis orationem, partem certè aliquã imitari possumus, vt huius principiũ, illius narrationem, confirmationem item, aut perorationem, aut aliquam minorem partem. Quod fecit Virgilius in Homeri imitatione, quam Macrobius. 5. Saturnal. cap. 2. diligenter exponit: & Cicero, qui Demosthenem imitatus est. Ergo de verbo in verbum ab exteris authoribus sumere, quemadmodùm à Græcis Latini, & ab vtrisque nostrates sumpserunt, fuit semper, eritq; omni tempore laudabile. Non tamen vnquam laudandus qui quod à sua gente sumpserit, vt Italus ab Italo, Gallus à Gallo, Hispanus ab Hispano; nisi suum quisque ita proptium sibi redderet, vt non ampliùs alienũ appareret. In hoc enim scribentis laudatur industria, cui similitudo est cũ illa apum, quæ sic florum suauitatem in mellis dulcedinem cõuertunt, vt nihil illorum præterea cognoscatur.

Item quod ad elocutionis imitationem attinet, Paulus Manutius epistolâ ad Stephanũ Saulium, cùm Longolium perstrinxisset, qui totas Ciceronis

periodos in sua scripta transferret, duas tradit huius imitationis vias: Vnam sententiarum, cum præclara aliqua sentẽtia alijs verbis ornatur atque vestitur: alteram verborum, cum illustris aliqua locutio in alias atque alias res transfertur. Locutionis autem nomine etiam translationes, allegorias, cæterosque tropos interpretor. His addi potest tertia imitandi via, cum & verba & sententiæ retinentur, sed ita vt aliquid addas, atque detrahas, aut cõmutes. Legendus est Macrobius lib. 6. cap. 1. vbi, cum demonstraturus esset, quomodo Virgilius Latinos esset Poëtas imitatus; hunc lectionis esse fructum vel maximum docet; vt quæ eleganter ab illis dicta sunt, aptè in nostra scripta transferamus. Licet etiam interdum imitari ex contrario, cum præclaram aliquam sententiam in contrariam partem conuertimus: vt, illud quod est in Orat. Cum gratiæ causâ nihil facias, omnia tamen sunt grata, quæ facis. Hæc ad eius similitudinem conformatur: Cùm gloriæ causâ nihil facias, omnia tamen sunt gloriosa quæ facis. Quæ quidem sententia etiam in verborum sententiarúmque luminibus exprimendis cernitur, licet enim præclaras figuras eadem ratione imitari, sed non furari. De reliquis consule Quintilianum lib. 10. cap. 2.

APHTONII

CLARISSIMI RHETORIS

Ab ANTONIO BONFINIO Asculano Piceno, Philosopho ac Historico clarissimo traducti, Præexercitamentorum vnà cum exemplis Paraphrastica methodus per Io. Bapt. Conradum conciuem.

MINORA dicendi facultatis opera, iuxta Quintiliani consilium, in quibus priùs adolescentes exercendi sunt, quatuordecim: Fabula, Narratio, Chria, Sententia, Confutatio, Confirmatio, Locus communis, Laudatio, Vituperatio, Comparatio, Ethopœia, Descriptio, Thesis, Legislatio.

DE FABVLA.

FAbula è Poëtis promanauit, & à verbo Fari ex Varrone nomen habet.

Fabula est falsa oratio veritati similis.

Fabularum dispositio sumitur à natura animalium, & locis, in quibus versantur. v. g. si quis vellet ostendere aliquem suæ pulchritudinis iactatorem, Pauo fabulæ subiectum præbebit: Si astutum, Vulpes: Si aliorum imitatorem, Simia.

Rhe-

Rhetores vtuntur fabulis, pueros alliciendi causâ: Oratores argumentorũ loco, vt persuadeant; sic Menenius ille Arippa, qui, recitatâ conspiratione membrorum in ventrem, plebem Romanam placauit, Senatuique reconciliauit.

Inter antiquos Hesiodus vsus est fabellâ lusciniæ, Archilocus vulpis, Horatius muris.

Fabula secundùm inuentores sortitur nomina, vt Sybariticæ, Cilissæ, Cypriæ. Vsus tamen obtinuit; vt potiùs ad Æsopum referretur, quippe qui optimè omnium fabulas conscripsisse dicitur.

Fabularum alia rationalis, alia moralis, alia mixta. Rationalis est, in qua quid faciens aut dicens homo fingitur. Moralis est, in qua irrationalium mores imitamur. hoc est, quæ de moribus animalium ratione carentium agit. Mixta, quæ ex vtrisque, rationali scilicet & irrationali efficitur.

Fabulæ bipartitò narrantur, videlicet strictim & diffusè. Strictim, si summam fabulæ breuiter narramus. v. g. Simiæ conuenerunt, & de vrbe condenda consultarunt, ex quibus vna cæteris junior suasit vrbem esse condendam, altera verò senior dissuasit. Sic breuiter narrabis. Diffusè narramus: Si non solùm fabulam summatim narramus, sed etiam & personis & animalibus introductis sermonem accommodamus. v.g. Si introduceres Simiam iuniorem habere orationem artificiosam ad persuadendum quod intendit. Et seniorem illi vicissim respondere.

Fabulæ simplici, & purâ & clarâ elocutione proferantur.

Mo-

Monitionem seù Allusionem, cuius causâ fabula constituitur, si præposueris, Promythion appellabis, idest Præfabulare, Præfabulamentũ, quasi primam fabulæ partem. Si verò postposueris, Epimythion, hoc est, Adfabulationem vel Affabulamentum.

EXEMPLVM.

Fabulæ Cicadarum & Formicarum breuiter narratæ.

FEruente iam æstate musicum concentum cicadæ efferebant. Formicas labor & magna legendi fructus cura inuaserat, quò hyeme nutriri possent. Subeunte iam brumâ, formicæ pro quo tantoperè insudauerant, frumenti aceruo pascuntur. Cicadas perniciosa voluptas ad inopiam redegit. Sic iuuentus in florida ætate subterfugiens laborem, in senectute subire cogitur egestatem.

Potest etiam Fabula dilatari, Ab Autoris laude, A Præfabulari, A Natura illius animalis, A Sermocinatione per prosopopœiam, A Collatione, A Contrario, deinde ponitur Conclusio.

Fabula generis est Deliberatiui. licèt secundùm Bonfinium possimus etiam eâdem vti in Iudiciali & Demonstratiuo.

Narrationi sex accidunt, Persona agens, actum negotium, tempus secundum quod, locus in quo, modus quomodo, causa per quam. Quæ circunstantiæ hoc versiculo comprehenduntur: Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Narrationis virtutes quatuor sunt: Diluciditas seu claritas, breuitas, verisimilitudo vel probabilitas, & in nominibus propria linguarum ratio, hoc est, electorum verborum proprietas.

Narrationes explicantur quintupliciter, Per rectum, per obliquum, per conuectiuum, per comparatiuum, & dissolutiuum.

Per rectum, quando incipit à recto: vt, Bonifacius, ciuis Romanus, quòd cum Aglaë nobili matrona impudicè versatus esset, tanto illius intemperantiæ dolore captus est, vt pœnitentiæ causâ se ad conquirenda & sepelienda Martyrum corpora contulerit. In eius vitâ Pridiè idus Maij. Per rectum enim omnia ferè dicuntur.

Per obliquum, quando ab obliquo: vt, Nicolaum, illustri loco Pataræ in Lycia natum, parentes à Deo precibus impetrarunt. In Breuiario VIII. Idus Decemb.

Per modum conuictiuum, quando per interrogationem ita narramus, vt aduersarios conuincamus, & rem ipsam fateri cogamus. Hoc modo, Nonne Iudas Christum tradidit? Nonne IESVM Saluatorem mundi triginta argenteis vendidit?

Per modum comparatiuum, quando per comparationem ostendimus id non esse factum, quod

na-

natura & hominum consuetudo postulat: vt, Iudas, qui Christi Apostolus fidem seruare debuit, auaritiâ victus suum vendidit præceptorem.

Per dissolutum propter sublatas coniunctiones celeriter narramus; vt, Iudas Christum osculo excepit, Redemptorem prodidit, Magistrum vendidit.

Rectus Historicis magis, ac Oratoribus, & poëtis conuenit. Obliquus certaminibus Oratorijs magis quadrat. Conuictiuus ad arguendum est perappositus. Dissolutus perorationibus maximè congruit. Comparatiuus potest omnibus aptari.

Narratio est generis Deliberatiui. Et iuxta Bonfinium potest adhiberi etiam in reliquis, vt de Fabula.

Exemplum Narrationis Fabulæ de rosa.

QVi rosæ pulchritudinem admiratur, eum Veneris plagam considerare oportet. Deam enim Adonem amabat, & Deam Mars, & quod Venus Adoni, id Veneri Mars præstabat: Deus Deam ardebat, & Dea hominem sequebatur. Cùm simile desiderium genus perturbaret, Deus nimiâ zelotypiâ laborans Adonem interficere statuit, ratus ex Adonis morte amoris solutionem futuram: proinde Adonem percutit. Hoc docta Venus iuuare contendit, ac nimio studio in rosam demissa in spinas concidit. Pedis planta grauiter perforatur. Sanguis è vulnere defluens rosæ colorem

lorem in proprium mutauit aspectum. Rosam igitur à principio albam, in quod nunc videtis, hoc modo deuenit.

DE CHRIA VEL VSV.

CHria est, quæ breuem commemorationem in aliquam personam decenter refert. vel Chria est commemoratio breuis factum vel dictum alicuius personæ aptè referens.

Chria ab vtilitate in dicendo nomen accepit; vel ab vsu, quia maximè apud Oratores sit in vsu.

Chriæ pars altera in verbis, altera in rebus versatur, tertia media dicitur, vel Chriarum alia verbalis siue orationalis, alia actiua, alia mixta.

Verbalis verbis ostendit vtilitatem: vt, Plato virtutis ramos ex sudoribus laboribusque constare dicebat.

Actiua, actione vtilitatem repræsentat, hoc modo, Pythagoras, quanta esset hominum vita, interrogatus, breue quid ostendens, se abscondit. mensuramque vitæ breuem illum conspectum fecit.

Mixta seu Media ex vtrisque oratione & actione conficitur, hoc modo: Diogenes puerum videns stulta agitantem, eius pædagogum verberauit, dicens: Cur hæc doces?

In exercitanda Chria his octo capitibus vtemur: Laudatione, paraphrasi hoc est interpretatione seù expositione ipsius Chriæ, ratione seu

causâ,

causâ, argumentatione à contrario, parabola hoc est comparatione siue similitudine, exemplo, antiquorum, testimonio, breuique epilogo.

Vtimur laudatione, quando summatim autorem illius facti vel dicti commendamus: vt, Cicero & sapiens & eloquens semper est habitus.

Vtemur expositione, quando alijs verbis idem dictum latiùs & clariùs explicamus.

Reddimus rationem seu causam, quãdo ostendimus, parentes charissimos nobis esse debere, quòd ab his vita, patrimonium, libertas, ciuitas tradita est. Cic. post redit. in Sen.

Vtimur argumentatione à contrario, quando docemus, pecunias imperijque libidinem esse quasi materiem omnium malorum. Sallust. in Catilinario.

Adhibemus parabolam, hoc est cõparationem, quando per similitudinem loquimur. v.g. Vt non satis est clauus, neque frænum, nisi adsit qui arte medeatur: ita non sufficit eloquentia ad moderandum populum, nisi accesserit sermonis moderatrix ratio. Plutarchus in Moral.

Adiungimus exemplum antiquorum, hoc modo: D. Paulus corpus suum castigabat & in seruitutem redigebat, &c. Corinth. 1. cap. 9.

Accedit eorundem veterum testimoniũ, quando adducimus authoritatem alicuius, qui idem dixerit & senserit; vt D. Hieronymus qui in epist. dixit; Nullum laborem durum, nullum tempus longum videri debere, quo gloria æternitatis acquiritur.

De-

Denique artificiosè concludimus Epilogo breui seu peroratione ex dicto siue facto alicuius sapientis, hortantes ad aliquid faciendum, vel à faciendo dehortantes.

Chria continetur sub genere Deliberatiuo; nec non in Iudiciali ex Bonfinio stare potest.

Variatur Chria ex Diomede Grammatico per sex casus.

Per Nominatiuum, vt D. Paulus 1. Cor. 6. scripsit Auaros regnum Dei non possessuros.

Per Genitiuum. Diui Pauli sententia est, Auaros, &c.

Per Datiuum. D. Paulo visum fuit dicere, Auaros, &c.

Per Accusatiuum. D. Paulum scripsisse scimus Auaros, &c.

Per Vocatiuum. D. Paule benè scripsisti, Auaros, &c.

Per Ablatiuum. A D. Paulo scriptum habemus, Auaros, &c.

Similiter in plurali, vt Apostoli dixerunt. Apostolorum fuit sententia. Apostolis visum est. Apostolos omnes ita sentire videmus. O Apostoli primi omnium hoc prædicastis. Ab Apostolis omnibus hoc fuit comprobatum.

EXEMPLVM VERBALIS CHRIÆ.

Argumentum.

ISocrates diſciplinæ radicem amaram dicebat, fructus verò ſuauiſſimos.

A Laudabili.

ISocratis artem admirari par eſt. Hic enim nomen ipſi clarum oſtendit, & quanta illa eſſet, exercendo demonſtrauit, artemque magno præconio diffudit: non ipſe ab arte prædicatus eſt. Quæcunque igitur vel regibus leges dando, vel quenque monendo, vt bonam hominum vitam formaret, philoſophatus eſt, narrare longum eſſet. Sed quæ de diſciplina diſſeruit, videndum eſt.

Expoſitio.

HIc diſciplinæ opus à laboribus inchoat, qui in vtilitatem deſinant, quæ vbi philoſophatus eſt, hæc deinceps admiremur.

A Cauſa.

DIſciplinæ enim amatores à diſciplinæ autoribus inſtruuntur: quos adire timor eſt, relinquere verò ſtultum. Semper enim pueros, & eos qui ſunt, & qui erunt, timor circumuenit. Magiſtris pædagogi ſuccedunt, & pro his haberi ſolent: qui cum aſpectu formidoloſi ſint, verberando longè maiorem timorem incutiunt. Periculum timor antecedit, timorem pœna ſequitur. Namque puerorũ delicta puniunt, domeſticaque officia iudicant. Sed pædagogis patres longè videntur difficiliores: cum deambulare iubent, iter

obſer-

obseruant, & in foro quàm maximè: & si prohibere opus est, naturam ignorant. Inter hos igitur versatus puer, si inter homines prodierit, virtute coronatur.

A Contrario.

SI quis autem hoc timens, magistros fugiat, patres euitet; pædagogos auertat, omninò rationis expers erit: & dum metum fugit, orationibus disciplinisque priuabitur. Hæc omnia Isocratis sententia monet, amaram disciplinæ radicem referens.

A Simili.

SIcut enim qui terram colunt, cũ labore seminant, & cũ voluptate fructus legunt: ita disciplinæ autores post laborem gloriam adipiscuntur.

Ab Exemplo.

SI Demonsthenis vitam mihi definieris, quid aliud dices, nisi quoque oratore laboriosiorem, mox rhetorem factum, omnium oratorum fuisse clarissimum? Et quò plus studij præstitit, eò plus decoris & gloriæ sibi vendicauit, summum ornamentum à virtute ducens. Ea quidem laboribus impendit, quæ cęteri ad voluptates referunt.

A Testimonio.

PRoindè Hesiodum admirari oportet, qui asperam virtutis viam, summitatem verò facilem referebat, consimilem Isocraticæ sententiam philosophatus. Quam Hesiodus dixit, Isocrates vario nomine radicem vocauit: vterque vnam sententiam commentatus est.

Ab Epilogo.

QVæ quidem omnia qui considerant, Isocratem admirari debent, optima quæque de disciplina philosophatum.

Insuper quadam alia cùm verbalis, tùm actiuæ Chriæ exempla iuxta præscriptos Aphthonij locos tractata studio exercendi, habentur in scholijs Reinhardi Lorichij Hadamarij in eundem Aphthonium.

Aliud Chreiæ prioris generis exemplar, quod puer inter declamandum excipiebam in Scholis.

Argumentum.

QVi virtutem habet, nullius indiget, dicebat Cicero.

Laudatio.

M. Tullius Cicero inter Romanos Oratores eminentissimus iure optimo (candidissimi in literaria palæstra commilitones) à sapientissimis viris semper habitus fuit non modò dicendi, sed intelligendi etiam grauissimus auctor & magister. Nam philosophicas disciplinas ita cum eximia dicendi arte coniunxit, vt & absolutissimũ in suis libris Oratorem effinxerit, & perfectissimũ saluberrimis præceptionibus informarit ciuem. Quod quidem in multis, quas protulit, sententijs apparet, sed vel maximè in ea, in qua dixit, Virtutis possessorem nullius alterius rei indigum esse.

Ex-

Explanatio.

INtelligebat enim sapientissimus vir, non honoribus, non diuitijs, non alijs caducis, fluxisque naturæ bonis, non varijs fortunæ casibus subiectam esse virtutem, sed Reginæ ac Dominæ instar, seipsâ contentam subter se, quæ cadere in hominem possunt, omnia habere.

Causa.

ENimuerò mirandum non est, si, qui virtute præstat, rebus alijs non indigeat. Cùm videlicet quod honestum & cum virtute est, id solum bonum existimandum sit; cuius rei indigens poterit esse is, qui virtutem possidens, in omnium est possessione bonorum? Nemo potest non beatissimus esse, qui sese totus aptus est, quique in se vno sua ponit omnia.

Contrarium.

COntra verò qui virtutis expers, in omnium hæret flagitiorum cœno demersus. Quàm omnium egenus est vel in summa rerum copia inscius atque ignorans! Quàm inops inter opes, inter honores inglorius, inter voluptates miser! Quid enim illo miserius, quid ieiunius inueniri potest? At sapiens suarum virtutum & robore & flore vegetus ad liberaliter viuendum facilè paruo contentus nihil appetit immoderatum, commoditate fœlix partes omnes fœlicitatis suæ cumulatissimè explet.

Similitudo.

ET vti Ægyptus laudibus solet efferri; cum primis quòd alendis augendisque seminibus aptissima vbertati suæ, nihil imbribus cœloque debeat, sed proprio semper amne irrigata, tantis abundat segetibus, vt feracissimis quibusque terris comparetur: sic virtuti hæc maxima debetur gloria, quòd rectè factorum conscientiâ freta, ac innocentiæ suæ perpetuâ voluptate perfusa, delicias alias omnes aspernatur, cùm vbertate bonorum omnium per se ipsam efflorescat.

Exemplum.

ITaque nimirùm hoc illud nouerat sapientissimus philosophus Bias, qui publicis & priuatis actionibns neglectis, diuitijs & voluptatibus abiectis, vt nudus & expeditus nudam & solam sequeretur virtutem, nullius rei indigere se sentiens, cũ nihil haberet, omnia tamen secum bona portare dicebat.

Testimonium.

QVæ enim alia bona desiderari poterant in eo, qui virtutem habebat, vnicum illud, vt ait Seneca, hominum bonum, & vt Peripateticæ doctrinæ Princeps confirmauit, mercedem ac finem hominum, & diuinæ particulam beatitatis.

Breuis Epilogus.

EX quibus omnibus liquidò perspicere possumus, quàm meritò dixerit Latini eloquij parens, Virtutis possessorẽ nullius rei indigere posse.

Ad huius similitudinem Chriæ facile est reliqua contexere genera.

DE

DE SENTENTIA.

Sententia est oratio in enunciationibus primaria ad aliquid conuertens vel diuertens. vel, Sententia est cōpendiarius sermo ad aliquid hortans vel dehortans.

Sententiarū octo sunt species. Suasiua: vt, Oportet hospitem aduentantem osculari, & discedere volentem.

Dissuasiua: vt, Non oportet noctem dormire virum consilia ferentem.

Enunciatiua: vt, Opus est nummis: & sine his eorum, quæ necessaria sunt, nihil fieri contingit.

Simplex, idest sine contrario: vt, Optimum id augurium est, pugnare pro patria.

Coniugata, hoc est, coniuncta, siue composita, quia cum contrario: vt, Non bene multorum dominatio, vnus esto Rex.

Verisimilis siue probabilis est: vt, Talis est quisque, quales sunt amici, quibus delectatur.

Vera: vt, Vitam iucundam, vel tristitiá carentem in nemine contingit inuenire.

Hyperbolica, idest, excessiua siue superlatiua, quia supra veritatem: vt, Nihil imbecillius homine terra nutrit.

Sententia constat eisdē capitibus, quibus Chria: v.g. posita hac sententia: Dedecus est, totam consultum stertere noctem. In exornatione huius sententiæ primo loco Homerū laudabimus, qui eam protulit. Secundo eam explicabimus latiùs ostendendo

dendo quid significet, & quomodo vera sit. Tertio afferenda est causa, propter quam hæc sententia digna laude videatur. Quarto afferemus contrarium. v.g. vigiliam pro præsenti, vt inde magis oppositum vitium, idest, rhoncus appareat: quia opposita iuxta se posita ex philosopho magis elucescunt. Quinto aliqua similitudine, vt Gubernatorum nauium, sententiam illustrabimus. Sexto adducemus exemplū viri alicuius illustris, qui illud idem, quod laudamus vel vituperamus, cum laude vel ignominiâ præstiterit. In præsentia exemplum vigilantissimorum Ductorum. Septimo testes aduocabimus veteres Heroës siue sapientes, Historicos vel Poëtas, quorum illustris aliqua sententia in re nostra maximè faciat. Postremò breui Epilogo concludemus in exhortationē, aut dehortationem. Exemplum hoc desumptum est ex Prisciano, vt in scholijs in Aphthonium Reinhardus.

Sententia differt à Chria, quòd hæc aliquando est in factis: illa semper in verbis. Deinde quia Chria personis indiget. Sententia verò sine personis effertur.

Sententia locatur in genere Deliberatiuo.

Sententiæ persuasiuæ exemplum, & declamatio.

Pauperiem fugiens, vndas, pontumq. profundum,
Inuia saxa simul Cyrne coactus obit.

A Laudatiuo.

POësim Theognis accusari non sustinuit pro fabulis vitæ documenta tradens. Videns enim

poë-

poëtas, qui multa fingunt, dimissis fabulis, rectè viuendi documenta carmine exarauit, & cum carmine gratiam retinuit, & documenti emolumentum intulit. Si quis autem de multis rebus Theognim laudet, in his maximè laudare debet, quæ de paupertate philosophatus est.

Ab Interpretatione.

QVid enim dicebat? Qui cum paupertate viuit, præcipitem dari cupit. Item, Quantò meliùs è vita decedere, quàm solem pudoris testem possidere? Et quæ in hunc modum scripsit, haud ab re erit, quã pulchrè philosophatus est, considerare.

A Causa.

NAm qui cum paupertate degit, primùm quidem si puer est, virtutem nullam exercet: si inter homines prodierit, difficilia quæque subibit: si legatus erit, pro pecunia patriam deseret: si concionetur, pro argento exclamabit: si iudicium sortiatur, pro largitionibus iudicabit.

Ex Contrario.

NE tales quidem esse videntur, qui rerum inopiâ liberati sunt: si pueri fuerint, in quacunque re se pulcherrimè gerunt: si in homines exierint, præclarissima quęque operantur: in festis ac bello varia edunt munera.

A Collatione.

SIcut enim qui graui vinculo obstricti sunt, nullam operandi facultatem habent, ita qui in paupertate degunt, omnem audendi difficultatem subire coguntur.

Ab

Ab Exemplo.

COnsideres Irum, qui Ithacensis fuit, qui nemini ciuium suam egestatem communicauit, tantâ inopiâ laborauit, vt nomen mutarit: Arneus primùm dictus, mox Irus appellatus: à seruitute, & labore nomen accepit. Sed quid Irum dicimus? Vlyssem memoriâ repetamus Ithacæ dominum: qui postquàm in patrium solum descendit, paupertatem statim simulauit: cuius etiam malorum haud expers fuit, postquàm domi positus à seruis vndiquè circunuentus est, Difficilis est itaque paupertas quantum vix animo existimari possit.

A Testimonio antiquorum.

PRoinde Euripidem sic mirari opus est, qui non habere, malum esse dicit, & impossibile esse nobilitatem mutare paupertatem asserit.

Ab Epilogo breui.

QVare, vt par est, Theognim mirari debemus, hæc ipsa de paupertate philosophantem.

DE REFVTATIONE, & CONFIRMATIONE.

REfutatio est propositæ rei improbatio.
Confirmatio est propositæ rei approbatio.

Refutanda aut confirmanda sunt, quæcunque ancipitem habent opinionem. Nam nimis certa, & quæ non penitus impossibilia sunt, hoc est, manifestè falsa vel vera. nec refutantur, nec confirmantur. Huiusmodi sunt fabulæ vel historiæ, quæ nullam dubitationem habent.

Opor-

Oportet refutantes de eorum, qui dicturi sunt, calumniâ dicere: post hæc rei expositionē afferre. Confirmantes verò contrarijs vti refutationis legibus: & primùm quidem dicere approbationem eius, qui dicturus est; deinde in parte ponere expositionem.

Sex modis refutamus, Ab Incerto vel obscuro: vt, Incertum est, quo tempore vixerit Narcissus.

Ab Incredibili: vt, Supra fidem est, Daphnen à flumine Ladone, & terrâ prouenire.

Ab Impossibili: vt Nulla ratione fieri potest, vt Arion delphinū equitans incolumis sit seruatus.

Ab Inconsequenti, vel ab non cohærente, seù contrario: vt, Non est dicendum, neque sentiendum, Ciceronem, qui libertatem Romanam seruauit, eam voluisse perdere.

Ab Indecenti, vel indecoro: vt, Indecens est, Apollinem, cùm sit Deus, amatorem fuisse libidinosum.

Ab Incommodo, seù Inutili, cùm aliquid nulli vel vsui vel honori futurum sit: vt, Eijciunda hæc mollities animi, ex qua nulla commoditas vel vera gloria promanat.

Eisdem modis confirmamus, sed contrarijs. Vtimur enim pro incerto certo, pro incredibili credibili, & posibili pro imposibili: & consequente pro inconsequenti, & decenti pro indecenti, & commodo pro incommodo. Exercitatio autem ipsa omnem complectitur artis potentiā vel difficultatem.

Tam Refutatio, alijs vocabulis confutatio, improbatio, restructio, dicta, quàm Confirmatio, etiam his vocibus vocata, scilicet probatio, astructio, demonstratio, item structura ab Alicarnaseo: hoc est, opificium Rhetoricum, & artifex compositio, reponuntur in genere Iudiciali, & per Bonfinium in Deliberatiuo quoquè.

Refutationis exemplum.
Argumentum.
Quòd non sunt verisimilia, quæ de Daphne à Poëtis dicuntur.

Procemium ex dicentium calumnia.

POëtis aduersari, & contra eos dicere, absurdum est. Sed aduersus se ipsi dicunt, inuicemque congrediuntur. In Deos primi hæc confabulati sunt. Quomodo igitur non absurdum est illos Deorum nullam habere rationem, & nos magnam quidem habere poëtarum? Iniurias, & opprobria omnium Deorum apprimè doleo, sed quã maximè Apollinis, quem suæ artis ducem faciunt & autorem. De Daphne demùm Apollinis hæc fingunt.

Ab Expositione.

DAphnem ex terra & Ladone productam aspectuque multis præstantiorem ferunt. Cuius amatorem Apollinem faciunt. Hic amans puellam sequebatur: nec sequens mutuo amore ab ea redamari sentiebat. Terra puellam excepit: ra-

mum sui nominis extulit, quem in coronam continuò transtulit,& ob puellæ amorem in Pythium tripoda recondidit: Ramum igitur hunc poëticæ artis insigne esse iussit: Et alia in hunc modum poëtæ fabulantur, quos confutare haud erit iniquum.

Ab Incerto, & Ab Incredibili.

DAphne ex Ladone & terrâ prouenit: quam generationis fidem hoc habet? num hæc homo? num aliam isti naturam præter hanc habebant? Quo pacto Ladon suo alueo difluens cum terra coiuit? num omnes fluuij terræ mariti cognominantur, qui eam interfluunt? Si ex fluuio homo prouenit, profectò fluuium ex hominibus prouenire, par est. Mutuæ enim successiones qui futuri sunt, ostendunt. Cur fluuij & terræ nuptias nominant? Sensibilium enim hymeneus: Terra verò sensibilis esse nequit. Vel igitur Daphne inter fluuios computanda, vel Ladon inter homines ponendus.

Ab Impossibili.

VErùm si concedatur poëtis, ex terra & Ladone Daphnen esse natam, hæc edita à quibus enutrita est? Quòd si generatio concedatur, impossibilis erit educatio. Vbi enim viuendi modum habuit? A parente quidem. Et quis hominum fluuio viuendi modum affert? Celabat pater suo familiam profluente demergens, vel suis vndis aluit. At sub terra à matre puella viuendi modum habuit? Nam latebat, & si latebat, videri

non poterat. Cuius enim pulchritudo celatus, desiderium creari non potest.

Ab Indecenti.

QVòd si hoc etiam poëtis iam concedi velis: quonam pacto Deus pro desiderio suã mentitur naturam? Amor enim omnium, quæ sunt, difficillimus est. Dijs autem grauissima adscribere, impium censeri solet. Si morbos Dij subeunt, quid à mortalibus differunt? Si amorem omnium rerum miserrimum patiuntur, cur alios liberant, & miseriam omnium grauissimam ferunt? Verùm neque affectum natura vidit, neque Apollo amator visus est.

Ab Inconsequenti.

QVo enim pacto puellã insecutus est Pythius? num mortali inferior factus est? Viri mulieribus præsunt, anne mulieres nunc maiora iura, quàm Dij, sortiuntur? Num quod viris subest, Dijs præest, & imperiosè dominatur? Cur mater puellam fugientem excepit? An malorum nuptię? Et quonam pacto ipsa mater effecta est? Quippè bonorum. Quid puellam bonis priuauit? Proinde vel mater non fuit: vel si fuit, mala existimatur.

Ab Incommodo.

CVr idoneis operibus terra aduersatur? Cur Pythium ingenti tristitià confecit, si salutem erat allatura? Quòd si ademptura erat, quonam pacto illum in vitam reuocauit? Reuocare non oportebat, si enecare volebat. Cur Deus eo germine coronatus? Cur insigne voluptatis arborem

apud

apud tripoda statuit? Virtutis signum diuinatione ostenditur. Quonam igitur modò Pythius cum his coiuit, quibuscum misceri non potuit? Cur mortalis occasio, terminus vero immortalis.

Ab Epilogo.

SEd hic poëtarum finis esto, ne contra poëtas clamasse videar.

Confirmationis exemplum.

Argumentum.

Quòd decentia sunt, quæ de Daphne dicuntur.

Exordium à laude dicentis.

QVi contra poëtas dicit, profectò contra musas mihi dicere videntur. Si enim quęcunque poëtæ loquuntur, è musarum sententia veniunt, quonam pacto hic musis non aduersatur, qui de poëtis maledicere studet? Omnium poëtarum sententias magnifacio, & eius quàm maximè, qui Daphnen à Pythio amatam philosophatur, cui plerique non credunt. Daphne, vt hic refert, ex terra & Ladone edita est.

Ab expositione Certi.

NVm hoc apud Deos incredibile? Num omnibus rebus ex aqua & terra generatio est? Num semen vitæ elementa sunt? Si autem quodcunque fit, ex terra & aqua prouenit, Daphne quæ ex terra & Ladone deducta est, hanc communem omniũ genituram confirmat. Genita enim, vnde omnia generantur. Quòd si alias formâ su-

pe-

perabat, verisimile & illud, quæ prima à terra reddita sunt, cum naturæ pulchritudine prouenniunt: Namque multæ corporum transmutationes constituuntur, in qnibus magna pulchritudo perspicitur. Quod primum apparuit, omnium est pulcherrimum. Non immeritò igitur Daphne, quæ ante cetera è terra progenita est, miram formam prætulit. *A Credibili.*

QVæ cum reliquis præstaret, in ardentissimum sui amorem succendit Apollinem, & non immeritò quidem. Nam si quid pulchri in terra versatur, id omne prouenit à Dijs. Si autem in terra cæteris bonis pulchritudo beatior, quibus pulchritudo inest, inest & deorum donum. Proinde amatorem Deum pulchritudo habuit. Nam Deorum dona omnes amant.

A Possibili.

DEus igitur cùm amore afficeretur, huiusce modi morbo mederi statuit. Sed virtutes tales sunt, vt cũ magna difficultate comparentur. Nam sine labore virtutem assequi non licet. ex quo appetentem virtutis laborare necesse est: & eam appetendo non occupat; quia virtutis finis non est eam videre. Quare qui Pythium amare dicunt, non Deorum naturam damnant, sed virtutis calumniatorem ostendunt, petiti character in petente exprimitur.

A Consequenti.

FVgientem puellam mater excepit. Cuncta mortalia huiusce naturæ sunt, vt è quibus proue-

prouenerint, in ea ipsa redeant. Itaque Daphne, quæ ex terra processit, in terram redacta est.

A Decenti.

TErra, exceptâ puellâ, continuò plantam extulit. Ambo hæc opera in terra fiunt. In eam enim homines recidunt, & ex ea arbores educuntur.

A Commodo.

CVm hæc primùm apparuit planta, Apollinis honori statim dicata est. Dij extra prouidentiam plantas non relinquunt, sed his coronari non verentur. Primitiæ enim terræ Dijs ponuntur, & hoc accommodatum diuinationis signum fuisse puto: quandoquidem virginem temperatam & modestam existimant. Et temperantiæ est oracula edere.

Conclusio.

QVibus igitur virtutibus voluptatem ignorauit, his Deo puella dicata est; quia perniciosam intemperantiam futura videre nefas est. Quare poëtas admiror, & idcirco poëmata venerari non desino.

DE LOCO COMMVNI.

LOcus communis est exaggerans oratio præsentium bonorum vel malorum. Quia legibus supplicium aut præmium est definitum.

Dicitur Locus communis eò quòd omnibus cõmuniter accommodetur eiusdem rei participan-

tibus. Contra proditorem oratio communiter omnibus accommodatur huiuſcemodi actionis participantibus. Communiter,inquam,agit contra crimina, aut pro virtutibus nulla facta mentione perſonarum priuatarum. v.g. contra proditorem patriæ, contra furem, ſacrilegum, adulterum. Aut pro viro forti, & patriæ amantiſsimo, pro optimo Imperatore, pro optimo Antiſtite.

Procemium Locus Communis non habet, ſed iuniorum exercendorum gratiâ, quaſdam formulas, quibus Iudices aggrediemur, licebit fingere. Poſt hęc pones Contrarium,deinde Expoſitionem facies non vt docens (res enim nota eſt) ſed vt excitans auditorem. Tum inde per Comparationem ex ſimilitudine oſtendes, Hoc eſſe maius crimen. v.g. Sacrilegium eſſe maius & longè peius homicidio,vt patet.Poſtea collocabis Sententiam primariam actoris Sententiam calumniantem. Mox tranſgreſsionem ſeù digreſsionem coniecturalibus iniurijs ſuperiorem vitam afficientem: præterea miſericordiæ reiectionem. Poſtremò finiendum præexercitamentum his extremis capitibus: Legitimo, Iuſto, Vtili, Poſsibili, Honeſtoque Futuro.

Locus Communis ſtatuitur in genere Iudiciali.

Exemplum Loci Communis contra Tyrannum.

Procemium.

SIc leges, ſic iudicia apud nos verſantur? nempè legibus abrogationem dedit (vel vt in margine,

gine, legibus supplicium sustineat, vel pœnas luat) qui vt nusquam sint leges, efficit. Si enim euitatâ iustitiâ popularior futurus erat, fortasse quis ipsũ iustitiâ liberasset. Postquàm autem à legibus liber violentior erit, vbi tyrannidem ab omni iudicio tutam iustè statuere licebit? Cæteri omnes quicunque iudicia agitare cœperunt, omni studio cauent, ne quid nocumenti ex caussis iniquè iudicatis assequantur. Tyrannus verò, si permittatur, æquis iudicibus nocumentum infert: neque iudicia, imperante tyranno, vigebunt.

Ex Contrario.

PRoindè de hac re diligentiùs decernendum arbitror. Si maiorum instituta repetatis, nil magis curarunt, vt de patria mererentur, quàm vt omni potentia Rempub liberarent, & meritò quidem. Nam cum aliquando variæ hominibus fortunæ accidant, eorumque mentes immutent, fortunæ iniquitatem legum regulâ dirigentes, legesque statuentes, tanquam vnam omnibus ex his sententiam effecerunt. Lex autem est ciuilis iniquorum directio, castigatioque malorum, quæ fortuna perpetrauit.

Expositio.

QVorum quidem iste nihil animaduertens, cõsilium iniuit, vt omne ius protereret ciuitatis. Et hæc ita secum loquebatur: Quid ista Dij? apud multos visus æquè vbique potens ab alijs tolerabor? (in margine, Supra omnes potens, alijs vt æqualis habeat, patiar?) Quid stultè, quid temerè,

merè, fortunam, diuitias appetere permitto, si hæc à multis sustinebo? Pauperes, qui conueniunt, quid iudicabunt, quid arbitrabuntur, si lex mihi à multis dabitur? Quæ igitur erit liberatio? Occupabo arcem, & malè perditos absque impedimento, leges edam: hoc equidem pacto multis ego lex ero, neque plures mihi. Hæc igitur secum tyrannus agitat, neque sceleri finem facit: quãdo Deorum beneuolentia prouidet, ne pro quibus gratias Dijs debemus, ea hodierno die conseruent.

Comparatio.

GRauis est homicida, sed tyrannus multò magis. Hic enim quem offendit, interficit: ille verò omnes ciuitatis fortunas perturbat. Quanto igitur infelicius (al. inferius, leuius, minus) est priuatæ cædis tristitiâ affici, tantò grauior est tyrannus hominum trucidatore.

Sententia.

CÆteris profectò hoc euenit hominibus. qui grauissima quæque perpetrarint, mentem malam exuere possint. Solus verò Tyrannus inuitum nõ potest se dicere, eam concepisse libidinem. Si enim inuitus tyrannidem iniuit, fortasse quis ipsum omni iudicio liberandũ censebit. Sed postquàm consultorem perpetrauit, vbi non iudicium inbibit, cùm ante opera crimen animo patrarit?

Transgressio Coniecturalis.

CÆteri quidem homines, quorũ res apud nos agitur, recentibus criminibus afficiuntur, veteribus calumnijs absoluuntur. (al. propter prio-

prioris vitæ rectè facta sæpiùs absoluuntur, præsentibusque delictis ignoscitur.) Solus autem tyrannus vtriusque vitæ criminibus damnatur: superioris quidem vitæ, quia noua veteribus longè grauiora existimantur. Quod non immeritò, vt veterum nouorumque scelerum pœnas luat, & vtriusque vitæ tristitiam subeat.

Misericordiæ reiectio.

QVi igitur tyrannum deprecando liberabunt? Per Iouem filij. Quin etiam cum ingenti gemitu hi lamentantur, tunc leges stare existimate, quibus multò iustius, quã illis suffragia adhibentur. Per tyranni filios, tyrannis altius, validiusque firmatur. Per leges verò iudicia muniuntur, vt æqui iudices effici possitis, & longè iustiores eritis, si legibus opem afferetis.

Legitimum.

SI enim lex est, patriæ liberatores omni honore prosequi, nefarios seruitutis autores prohibere, iustissimum sit, concedi oportet.

Iustum.

AEquum est enim tam iustas eum dare pœnas, quantum iustitiæ aboleuit.

Vtile.

SAlutaris est tyranni interitus, quo leges resurgunt, & æqua iudicia agitantur.

Possibile seù Facile.

FAcilè quidem præsens malum inhiberi potest. Non enim vt satellitibus tyranno ad retinendam, ita sociorum auxilio nobis ad dissoluendam tyrannidem opus est.

Honestum futurum.

PRoinde ad destruendam tyranni potentiam, iudicum suffragia sat esse videntur.

DE LAVDE.

LAus est expositio bonorum alicuius.

Laudationis genera sunt tria. Primum Encomion appellatum, quod olim in pagis cantari solebat, vndè nomen sortitur. Angiportus enim Athenienses comas, id est, pagos appellabant. Alterum Hymnus dicitur. Tertium Epænon, id est, laudatiuum.

Hæc tria genera ita differunt: Encomion est, quo hominum laudes efferuntur: Hymno quidem Deorum: Epænon verò breui inscriptione completur. vndè Epigrammata, Tituli, Epitaphiaque proueniunt.

Ex arte Encomion effertur primum laudandi genus.

Laudationis diuisio. Laudantur personæ, vt Thucydides, Demosthenesque. Gesta siuè res, vt Iustitia, aut Temperantia. Tempora, vt ver, æstas. Loca, vt portus, pomaria. Animalia, vt equus, & bos. Plantæ vt vitis & olea.

Laudamus etiam aut quid publicè, aut priuatim. Publicè vt omnes Athenienses. Priuatim, vt Atheniensium quendam.

His capitibus in laudando vteris. Exordium oportet ad causam accommodari: deindè Genus po-

ponendum, quod in gentem, patriam, maiores, ac patres diuidendum est: dein Educatio, quam in exercitationem siuè institutionem, artem, legemque distingues. Post hæc maximum laudandi genus ex gestis constitues, quæ in bona animi, corporis, & fortunæ partieris. Animi, vt fortitudo, prudentia. Corporis, vt pulchritudo, velocitas, robur. Fortunæ, vt potentatus, diuitiæ, amicitiæ, clientelæ. Ad hæc Comparationem ingeres; in eo, qui laudatur, quod sit maius, induces. Postremò apto Epilogo, qui præcationi similior sit, pro arbitratu tuo claudes orationem.

Laus & Vituperatio ponuntur sub genere Demonstratiuo; nam à quibus aliquid laudamus, à contrarijs vituperamus.

Licèt in Loco Communi etiam laudemus, aut vituperemus; differt tamen iste à Laude in hoc, quòd in Loco communi pro viro forti dicentes eo consilio dicimus, vt præmium petamus: Laus autem per se simplex testimonium virtutis habet. Si autem vituperamus, vt supplicium detur illi, qui commiserit illud mali, hìc autem simpliciter vituperamus.

Laudis Thucydidis
Exemplum.

VTilium rerum inuentores, ex quibus quæque optima promanarunt, debito honore afficere, haud indignum censeri debet, & quod ab illis in lucem profectum est, iure ad primos eos autores referri. Thucydidem enim non ab oratione

laudabo, quòd propter eam tantùm laudare decreuerim: sed quando laudibus benemeritos ornare pulcherrimum est, tantò magis Thucydidem ante alios, quantò meliora præ cæteris omnibus adinuenerit. Neque enim in his, quæ ad benè dicendum pertinent, melius, neque Thucydide in dicendi arte sapientius quicquam inueniri potest.

A Patria.

THucydides igitur ex eo solo productus est, quod vitam sibi contulit & artem: neque aliundè ortus est, nisi vndè omnis eloquentia promanauit. Matrem Athenas inuenit.

A Maioribus.

AC pro genitoribus Regibus vsus est. Quod fortuna præstare potuit, nobiliore genere natus magnam potestatem, Rempublicáque popularem iniuit, vt vtramquè dirigeret, optimúque genus ciuitatis induceret: quādoquidem ex vtroque non parum lucri comparatur. Non enim iniustè locupletatus, cum miram in dicendis caussis æquitatem seruaret: sed ciuilem egestatem cū generis felicitate resarciens, magnam ex his dignitatem & famam sibi comparauit.

Ab Educatione.

POliticis moribus ac legibus enutritus, quæ sunt omnium maxima, domi militiæq́ue præstans fuit, doctus pro tempore & philosophari, & ductare exercitum. Nec eloquentiam sine armis, nec arma sine eloquentia curans, uno vtriusque disciplinæ studio detinebatur: & quorum non

vnam

vnam habebat artē, quàmuis natura diuersa erant, cogebat in vnum.

A rebus gestis.

HIs igitur artibus institutus in viros prodijt: captato tamen tempore, quo ea ostenderet, in quibus esset optimè exercitatus. Repentè fortuna bellum obtulit. Ex rebus, quas cæteri Græci olim gesserant, familiarem sibi finxerat disciplinam; quinetiam cuncta obseruarat, quibus bellum geri solet. quæ enim singuli gesserant, temporis vetustate aboleri non permisit: quoniam non ignoratur, à quibus capta Platæa, vastata Atticæ loca, circumlecta ab Atheniensibus Peloponnesus, naualisque pugna à Naupacto visa. Hæc in obscuro iacere Thucydides non permisit, qui hæc omnia literarū tradidit monumentis. Lesbos hucusque prędicatur: bellum in Ambratiotas vbique noscitur, nec temporis vetustate latet. Iniqua Lacedæmonum iustitia, Spacteria & Pylus magnū Atheniensium opus non ignoratur. Ad hæc etiam vnde Corcyræi ad Athenas conuenerunt, Corinthijque aduersus eos exclamant. Æginenses verò accusantes in Lacedæmona veniunt. Prudentiâ vsus in conuentu Archidamus, Sthenelaidas verò ad bellum excitat. Contrà Pericles Laconicam legationem parùm honorans, laborantes Athenienses iniquo animo ferebat. Quam ob rem hæc omnia, scribente Thucydide, vniuersæ posteritati mandantur.

A Com-

A Comparatione.

QVis igitur huic Herodotum comparabit? Ille quidem res cum voluptate exponit, hic verò omnia cum veritate describit. Quantò autem veritas grata voluptate maior, tantò Thucydides Herodoto præstantior.

Epilogus.

AD hæc multa alia de Thucydide dici poterant, nisi quàmuis omnia diceremus, adhuc tamen magnus laudum tumulus superesset.

ALIVD EXEMPLVM.

Laus Sapientiæ.

Proœmion.

FOrtunatissimi est Sapientiâ potiri, sed eam pro dignitate laudare est penitus impossibile: quæ tantæ felicitatis est, vt communis Deorum possessio statuatur. Varia sunt Deorum studia: Iuno enim nuptijs, Mars cum Pallade bello, igni Vulcanus, mari Neptunus præsidet: alius alio studio detinetur. Participes autem quisque Deorum est sapientiæ: sed in primis Iuppiter, qui quantò potentior, tantò est cæteris sapientior.

A Genere.

SApientia autem Ioui summã potestatem credidit, & hanc Dij habuere communem. Mox descendit in terras, & tunc Deorum filij in lucem retulerunt. Quare Poëtas admirari mihi conuenit:

nit: quippe qui Palamedem & Nestora, & si quis alius sapientiâ summâ præditus canitur, Deorum fecere filios, non statuentes aliam Deorum naturam, quàm ipsi Dij statuère: sed communione generis virtutem fecere communem. Quibus Deorum virtutem possidere licuit, Deorum filij existimati sunt: & Deorum monumenta videntur, è quibus omnis sapientia prodijt.

A Sapientiæ operationibus.

SApientia igitur vtroque tempore nimiũ valet: Alia enim in bello, alia in pace prosunt. Sola sapientia æquè ac vni, vtrisque dominatur. Versatur namqne in bello, perinde ac si pacem nunquã cognouerit: in pace verò, non secus ac si arma nusquam gesserit. Cui dominatur, eius tantum esse putatur: quandoquidem in pace fert leges, & vario quietis genere vtitur; in bello autem victorias parit: armis vires adhibet: in Senatu nihil iniquè decerni patitur: domi forisque scit æquè dominari. Sola sapientia, quæ Deorum sunt, iudicat: sola enim tanquàm Deus futura præuidet. Sola agricolis terram, nautis mare disponit: sine qua nec fructus legere, neque nauem ascendere conuenit. Quæcunque igitur mare occupauit, & terra hominibus protulit, hæc omnia sapientia disponit & regit: quippe quæ latère non patitur, quęcunque recondita cœli moles in se complectitur. Item quæcunque sol circuit, cunctaque astra, quæ circunsidunt, sola hæc sapientia mortalibus ostendit. Quæcunque etiam in terris sapiens non igno-

Facto Procemio, adiunges Genus, quod diuides, vt in Laudatione dictum est. Educationem præterea, & Gesta, ac Comparationem, Epilogumque, prout in Laudatiuo genere, pones.

EXEMPLVM, ET DECLAMATIO. *In Vituperatione Philippi.*

Exordium.

NEque virtutem sine laude, neque vitium sine vituperatione præterire par esse iudico: siquidem ex bonorum approbatione, & improbatione malorum non mediocre lucrum comparatur. Æquum est enim, omnes eorum opprobria audiant, qui malè gesserunt, & Philippi maximè: quippe qui omnes malos omni scelerum genere superauit.

A Genere:

EO namque genere natus est, quod barbarorũ pessimum esse censetur, dum locum ex loco per ignauiam mutare quærit. Argiui primùm è proprijs finibus exiuere, vagantes ad, quam nunc occupant, confugère sedem, duplici implicati incommodo, dum bonis mali cedunt, ac peruersi inferiores eijciunt, cùm propter eorum ignauiam & auaritiam simul habitare non possent. (al. tutò habitare datum non fuerit.)

A Patria.

HInc igitur genus trahens Philippus, in peiori ciuitate natus est, quando barbarorum omnium

nium pessimi sunt Macedones, Pelleque ciuitas, Macedonum longè pessima, cuius subditi verè miseri reputari possunt.

A Maioribus.

EX hac terra natus Philippus maioribus longè deterioribus vsus: cui Philippus progenitor fuit, qui prouinciæ ex genere dominari nequiuit: deinde Amyntas pater in regnum sociorum ope collocatus, ab Atheniensibus captiuus restitutus.

Ab Educatione.

APud quos diù obses fuit, & in media Græcia versatus non mores consuetudine mutauit, sed barbaricam intemperantiam in Græcorũ studia intulit, & diuisis horum moribus Græcis ac barbaris, his moribus permansit ijsdem, paremque malitiam in dissimili genere præstitit.

A rebus per tyrannidem, atque perfidiam gestis.

PRimùm quidem gentem suam in seruitutem redegit; & à quibus originem duxit, in eos primũ suam perfidiam ostendit. Hinc in finitimos profectus omnia vastauit, Peonas cepit, Illyricos occupauit, & Triballorũ regionem in suam potestatem redegit: tot ac tanta cepit, quot ad capiendũ prompta erant. Barbarorum corpora bello cepit, animos verò cũ corporibus minimè quidem, quãdo die noctuque omnes, qui armis seruiebant, defectionem animo agitabant, & libera mente erant, quàmuis re seruitutem paterentur. Constitutis

autem

autem finitimorum barbarorum rebus, traiectâ Greciâ primũ in Thracia Grecorũ ciuitate adortus Amphipolim cepit: mox in Pydnam Potidæamq́. irruens neque Pheras sine Pagasis, neque Magnessam sine Pheris inuasit, sed omnes Thessalorum ciuitates ipse cepit, & perinde ac monumentum generis seruitutem his omnibus intulit.

A mortis genere.

VErùm enimuerò de Philippi morte aliqua dicere non erit iniquum. Hic enim inuadens multa subuertit. Fracto omni fœdere, inducijsque parùm seruatis, socios in seruitutem redegit. Quod cùm Dij iniquè ferrent, vt violatam fidem vlciscerentur, decentem huic mortem intulerunt. Non enim hunc in bello sustulerunt, neque Aristea (idest optimè in bello se gerentem) suæ mortis testem fecerunt, sed in ipsis voluptatibus hominem perdiderunt, rati eas Philippi sceleribus honorificum fore monumentum, vt mortis & vitæ egregium intemperantiæ testimonium haberet.

A Comparatione.

AT hæc, quis huic Echetum compararit? hic partia quædam extrema coinquinauit, reliqua corporis dimisit; ille verò tota cum totis corpora fœdauit. Quantò enim totum coinquinatum parte grauius est, tantò Philippus Echeto perniciosior.

Peroratiuncula.

SI vixisset Philippus, malis finem, vt omnium est opinio, nunquam fecisset. Sed nunc, quando necessitas cogit, de Philippo dicere desinamus.

DE COMPARATIONE.

Comparatio est oratio vel similia, vel maius cum minore ex collatione conferens. vel, Comparatio est rerum similium cum diuersis, aut minorum cum maioribus collatio.

Comparantur vel honesta cum vtilibus, vel mala cum malis, vel bona cum bonis, & contra, bona cum malis, vel vtilia cum inutilibus, vel parua cum maioribus.

Tot comparare conuenit, quot laudare & vituperare contingit, Personas scilicet, & Res, Tempora, & Loca, Animalia, & Plantas.

Omnis Comparationis locus communiter grauis est, & maximè vbi parua cum maioribus comparantur.

Non oportet in Comparatione totum cum toto comparare, id enim socors supinumque foret, & minimè contentiosum, pugnaxue; sed caput cum capite conferendum, hoc enim vehemens: atqui diuidere totas res, laudis est, & non comparationis. Comparatio in hoc ipso non consistit, quando totum præexercitamentum est ipsa comparatio.

Comparatio instar laudis vel vituperationis fusiùs tractari solet.

Comparatio est in genere Demonstratiuo; similiter in Iudiciali ex Bonfinio,

Compa-

Comparatio Achillis & Hectoris.

Proœmium.

DVm virtutem cum virtute conferre studeo, Achillem cum Hectore comparabo, suâpte enim naturâ venerabiles sunt virtutes: sed comparatæ expetibiliores.

A Loco.

VTerque igitur quandò mortalis est, & ex ciuitate natus, etsi non vnâ, è clara tamen patria ortum habuit. Alter enim Phthiæ natus, vndè Græciæ prouenit qui nomen imposuit. Alter Troiæ, quam primi Græcorum habitarunt. Cùm autem non parùm ad laudem conferat, ex pari ciuitate esse natos, Hectori Achilles anteponi non potest.

A Parentibus.

EX clara namque ciuitate ambo nati, par genus sortiti sunt: ambo ex Ioue genus ducunt: quando Achilles Pelei filius est, Pelei verò Æacus pater fuit, Æacique Iuppiter: Hectór quoque è Priamo genitus, qui patrem habuit Laomedontem, Laomedon verò Dardanum, Dardanusque Iouem.

A Maioribus.

AMbo igitur ex progenitore Ioue ducti, consimilibus parentibus vsi sunt. Achilli Aeacus, Peleusque fuere: quorum alter ariditate Græciam liberauit: alter superatis Lapithis, quod egregium virtutis certamen fuit, Deæ coniugiú sortitus est.

Contra verò Hectori progenitor Dardanus, Dijs quàm primùm adiudicatus: pater autem Priamus, eius profectò ciuitatis rex, cuius mœnia, Dij ædificarunt. Sicut enim cum Dijs cohabitare, melioribusque adiudicari cõsimile est, ita Achillis Hector omninò consimilis.

Ab Educatione.

AMbo igitur ex ijs nati progenitoribus, ad fortitudinem educati sunt, Achilles enim à Chirone, à Priamo Hector à natura quidem ad virtutem formatus. Par vtrique in virtute educatio, parem vtrique gloriam attulit.

A rebus gestis.

POstquàm inter homines ambo prodiere, in vno bello pares vires præstitère. Primùm enim Hector Troianorum dux, & Troiæ propugnator fuit, & à Dijs coadiutus stetit: corruens suâ ruinâ patriæ ruinam secum traxit. Contra Achilles Grecis prefuit, & omnes præ timore in fugam vertens Troas vicit: Palladaque adiutricem habuit. qui postquam cecidit, Achiuorum vires labefactauit.

A Morte.

ALter à Pallade cæsus est, ab Apolline alter: & Dijs ambo nati Deorum manibus occubuère: vndè genus, hinc vitæ finem sortiti sunt. Quàm vita morsque consimilis, tam consimiles ambo censeri debent. *Epilogus.*

PLura profectò alia erant, quæ de vtriusque virtute dici poterant, nisi parem gestorum gloriam ambo habuissent.

Ad

Ad consimile genus exercitationis comparare possumus Philippum cum Pyrrho, vt apud Liuium lib. 1. Macedonici belli. Et eundem Philippum cum Alexandro apud Iustinũ lib. 9. Item ex Plutarcho, Publicolam cum Solone: Alcibiadem cum Coriolano: Periclem cum Fabio: Annibalem cum Scipione: T. Flaminium cum Philopœmene: Aristidem cum Catone: Timoleonem cum Aemylio: Lysandrum cum Sylla: Agesilaum cum Pompeio: Dionem cum Bruto: &c.

DE ETHOPOEIA.

Ethopœia (idest Imitatio, à Prisciano Alloquutio dicta) est moris subiectæ persone imitatio.

Imitationis tria sunt genera: Idolopœia, Prosopopœia, Ethopœia.

Ethopœia quidem notam personam habet, solùmque morem format, vndè nomen accepit; vt qualia verba faceret Hercules, Euristeo sibi imperante. Hìc enim Hercules notus est: dicentis verò morem effingimus. Vel Ethopœia est imitatio sermonis ad mores, & suppositas personas accommodata, vt quibus verbis vti potuit Andromache, Hectore interfecto.

Idolopœia à Prisciano Simulachri fictio est, quæ personam notam habet, defunctam tamen, & loqui non potentem: vt Cicero pro Cœlio introducit Appium Clodiam sic alloquẽtem, Mulier quid tibi cum Cœlio? quid cum adolescentulo? quid cum alieno?

Prosopopœia, quæ & Confirmatio à Prisciano redditur, est, quando omnia finguntur, & mos, & persona: vt Menandri argumenta, vbi non res est, nec persona habetur proposita, vndè Prosopopœia nomen accepit; formatur enim cum more persona. Hoc est, Prosopopœia est sermo alicui rei contra naturam datus: vt Cicero, qui sæpè in inuectiuis patriam, & ipsam Rempub. loquentem introducit, quæ conformatio plurimùm valet ad commouendos audientium animos.

Ethopœiarum item alia affectum, alia morem, alia vtrunquè continet. Vel, alia est pathetica siuè passiua, & à Prisciano passionalis dicta, alia moralis, alia mixta.

Pathetica est, in qua personæ introducuntur loqui ex animi passione & continua commiseratione, vt quibus verbis vti potuisset Hecuba interfecto rege Priamo, & collapso super cadauer filij Polytæ apud aras summi Iouis.

Moralis est, in qua mores hominum ex eorum sermone exprimuntur, vt quibus verbis vti potuisset Rusticus inspectâ naui, quam nunquam antea vidisset.

Mixta est, in qua introducuntur personæ loqui partim ex animi affectu, partim etiam ex more. Vt quibus verbis vti potuisset Achilles super interfecto Patroclo pugnare decernens. Mos enim, deliberatio: affectus verò, amicus iacens. Clariùs, Hic exprimitur & animi passio ex morte amici, & mos etiam viri fortissimi cogitantis de bello, & vltione facienda.

Allo-

Allocutionis duæ ſunt ſpecies, altera perſonarum infinitarum, vt quibus verbis vti poſſet quiſpiam diſceſſurus à patria, à parentibus, ab amicis. Altera verò finitarum, vt quibus verbis vti potuiſſet Achilles ad ſuam Deidamiam profecturus ad bellum Troianum.

Allocutionũ itẽ aliæ ſunt ſimplices, aliȩ duplices.

Simplices ſunt, quando perſonæ introducuntur ſecum loquentes, vt quibus verbis vti potuiſſet Scipio victor rediens Carthagine.

Duplices ſunt, quando introducuntur perſonæ alios alloqui, vt quibus verbis vti potuiſſet Scipio victor ad exercitum.

In Allocutionibus ſermo tribuatur pro decoro perſonarum: alia enim verba conueniunt adoleſcenti & iuueni, alia ſeni, alia honeſtæ matronæ, alia impudicæ fœminæ, alia gaudenti, alia dolenti, alia ridenti, alia verò ploranti, &c.

Ethopœia etiam moralium perſonarum locatur in genere Demonſtratiuo, & Iudiciali.

Ethopœiam igitur cùm facere volueris, in ea ſtylo dilucido, conciſo, ſiue breui, florido, diſſolutoque vteris, & qui nec ſchematibus aſperſus, nec inclinatus ſit. Macrobrius V. Saturnal. cap. 1. ponit quatuor dicendi genera: Copioſum, in quo Cicero dominatur: Breue, in quo Salluſtius regnat: Siccum, quod Frontoni aſcribitur: Floridum & pingue, in quo Plinius Secundus luxuriatur.

Ethopœiæ capita diuides in tria tempora, præſens, præteritum, & futurum.

Exemplum Ethopœiæ Patheticæ.

Argumentum.

Si qua verba iacentibus filijs Niobe dicat:

A Præsenti.

HEù quali pro pristina fortuna discrucior, liberis nunc omnibus orbata, quæ iandudum tam pulchrâ prole gloriabar! Multitudo enim mihi ad inopiam redacta, & quæ paulò ante tanto liberorum ordine tam gloriosa incedebam, ne vnius quidem mater dici possum. Heù quantò meliùs erat hos non peperisse, quàm in has lachrymas incidisse? Orbata enim his, quæ nunquam pepererunt, duriorem habet sortem. Namquod iucundum ac decens est, si experientia probetur, id tristitiam refert, si auferatur.

A Præterito.

ME miseram, consimilis mihi fortuna cum patre intercedit! Tantalus mihi pater fuit, qui inter Deos admissus, paulò post è Deorum societate decidit. Ego quidē à Tantalo nata genus meum ingenti miseriâ confirmaui. Cùm me Latona vidisset, hinc omnia mihi mala profluxere. Cùm in eius colloquium venissem, hinc statim filiorum mortes ortæ sunt. Vtilitati tunc meæ finem intulit Deæ consuetudo. Priusquàm in certamen venissem, Latonâ expetibilior eram: postquàm clara facta sum, vniuersâ prole careo, cuius non parua mihi erat multitudo, vndè ingens mihi luctus propositus est. Et eò maiore luctu quid

indi-

indiget, quò maiore veneratione dignum est. Proinde quò vertar? quibus obuiam ferar infelix? quod mihi in tanta filiorum clade sepulchrum satis esse poterit? Supersunt mihi præter hæc pœnæ.

A Futuro.

QVid lamenter hæc? Orandi sunt Dij, vt naturam mihi immutent, qua omnium miseriarum sensu liberari, & in ea, quæ nihil sentiant, mutari possim. Verùm magis timui, ne dum talis videor, minus existimer lachrymare.

DE DESCRIPTIONE.

DEscriptio est oratio colligens, & apertè oculis repræsentans, quod demonstratur.

Describuntur autem Personæ, Res, Tempora, Loca, Animalia, Plantæ, & similia.

Personæ, vt apud Homerum in Odyssea, Rotundus erat humeris & ipse niger, ac crispus. Apud Virgilium, Os habitumque gerens & virginis arma Spartanæ.

Res, vt bellum nauale, pedestris pugna, quemadmodùm Historicus.

Tempora, vt veri, aut æstas, autumnus, hyems: & quæ in eis proueniunt, vt flores. Virg. Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris Incipit, & dono diuûm gratissima serpit. Apud Liuium, Iam ver appetebat.

Loca, vt eum Thucydides Thesprotum portum hyemalem tanquàm figurâ exprimens; Et Virgilius

lius in 1. Aen. describit locum fictum apud Carthaginem: Est, inquit, in secessu longo locus, insula portum, &c. quæ pluribus versibus sequuntur. Frequentissimè etiam describuntur situs vrbium, montes, valles, campi, litora, regiones, flumina, villæ, horti, amphiteatri, fontes, specus, templa, luci, & cætera id genus. Si Descriptio vera est, Topographia appellatur: sin ficta, Topothesia.

Cum personas describimus, à primis ad vltima vsque progredi opus est: hoc est à capite ad pedes.

Cum res exponimus, ab his, quæ negotium antecedunt, incipiendum est, & quæ in negotio sunt, & quæ negotium sequuntur, ritè describenda. Exempli gratiâ, si belli ponamus descriptionem, primùm debemus dicere delectus militum esse factos, sumptus præparatos, timores qui fuerunt. Deinde congressus, cædes, mortes, victorias, laudes victorum: Eorum verò, qui victi sunt, lachrymas, direptiones, seruitutem, stuprationes, & similia.

Si tempora & Loca ab his, quæ hæc complectantur, & quæ in his consistant, initium sumemus.

Descriptionum aliquæ simplices, aliquæ compositæ. Simplices, vt pedestris vel naualis belli descriptiones. Compositæ, vt quæ res pariter & tempora coniungunt, quemadmodũ Thucydides, cum nocturnum in Sicilia bellum describit, Simul enim & quomodo gestum est, & nocte quomodo gerebatur, comprehendit.

Opor-

Oportet autem in descriptione stylum dissolutum efferre, hoc est, dicendi figurâ vti tenui, varijsque schematibus distinguere, & vbiquè descriptas personas, & negotia imitari.

In Descriptione vtimur Iudiciali & Laudatiuo siuè Demonstratiuo genere.

Descriptio Arcis Alexandriæ.

ARces in vrbibus pro communi tutelâ stant: Ciuitatum enim summitates sunt: quæ non magis ædibus muniuntur, quàm ciuitates ipsas muniunt. Atheniensium arx medium ciuitatis locum occupauit. Arx, quam Alexander in sua ciuitate statuit, quibus edicebat, ab his custodiebatur. In edito loco sita decentiùs hæc arx appellari potest, quàm ea, in qua Athenienses sapere cœperunt, quod pro viribus oratione prosequemur. Si quis eam in monte ciuitatis erigat, hæc in magnam altitudinem elata, à ciuitatis vertice Acropolis appellatur, & quòd ab aliquibus in ipsa ciuitatis summitate fundatur. In hanc viæ non æquæ, huic enim via, huic cliuus erit. Et vitæ aliquo modo nomina mutabunt: hâc pedibus itur, & communis via est, qua currus agi potest: hac gradibus ascenditur, qua currus peruehi non potest: gradus namque gradu crescit, viaque illa ita gradatim in altum educta non desinit, donec centum gradibus terminatur. Numeri enim terminus cliui finis est. Mox vestibulum cliui gradus excipit, modicis cratibus occlusum: & columnæ stant quatuor altissimæ, quæ vias vndiquè in vnū adi-

aditum ducunt. Regia multis columnis fulfulta, quæ varium colorem emittunt, nimioque apparatu certantes mirum ornatum præferunt. Domus fastigium in orbem reducitur, vbi magna rerum omnium cõmemoratio depicta est. Adeunti verò arcem locus vnus quatuor æquis lateribus diuiditur: cuius mensura, quadrata nempè lateris forma, miro spatio excogitata. Mediam aulam columnæ circunstant: deinde porticus succedebant quæ paribus columnis distinctæ, quarũ mensura, si quam excedebat, intelligi non poterat: quæque porticus aliâ cõsimili terminatur: duplici columnarum ordine vtraque porticus diuiditur; alterâ enim desinente, iterum altera succedebat: in his armaria constructa. Hinc philosophantes inter libros nati constiterant, ciuitatemque vniuersam ad philosophiæ præstantiam hortabantur. Hinc veteres, qui Deos colere docti erant. Cuiusque porticus testudo aurata. Testa columnis sustentabantur, quæ ex ære conflata, auroque illita. Itaque aulæ non vnus ornatus erat, aliud alia continebat. Hic enim Persarum bella spectabantur. Mediaque columna cuncta sustinebat: & producta spatia locum illustrabant. Qui autem ingressus fuerit, quo introierit consimili columnarum ordine confusus, nec facilè dinouerit, nec vias inuenerit. Et quod eò illustriorem facit, arx ad continentem & mare spectat. Principia rerum in vertice columnarũ sculpta sunt. Et priusquàm in mediam aulam accedatur, diuerticula ad por-

tas miro ordine formata ducunt, quæ ab antiquorũ Dijs nomen accepere. In his Obelisci duo marmorei stabant. Item Fons Pisistratidarum longè melior continebatur. Et quod incredibile miraculum erat, operariorum numerus videbatur: & quia non vnus artifex operi sat esse potuerat, totius arcis architecti spectabantur supra decem & duo præpositi. Accedenti autem ad arcem hanc locus æqualis & planus est, & ad stadium accommodatus, vndè locus appellationem accepit. Hâc verò alius ad similia locus est, non in æqualitatem ductus. Pulchritudo longè maior, quâm dici possit. Si quid prætermittitur, omni miraculo plenum est. Quare cùm omnia abundè dici nequeant, dimittamus.

Descriptio Habitationis Sancti Antonij, apud D. Hieronymum, in vita B. Hilarionis.

ET quia (inquit Hieronymus) se præbet occasio, & ad id loci venimus, dignum videtur breui sermone habitaculum tanti viri describere. Saxeus & sublimis mons per mille circiter passus, ad radices suas aquas exprimit: quarum alias arenæ ebibunt, aliæ ad inferiora delapsæ, paulatim riuum efficiunt: super quem ex vtraque ripa palmæ innumerabiles, multum loco & amœnitatis, & commodi tribuunt. Videres senem huc atque illuc cum discipulis beati Antonij discurrere. Hic aiebant, psallere, hic orare, hic operari, hic fessus resi-

resſidere ſolitus erat. has vites, has arbuſculas ipſe plantauit: illam areolam manibus ſuis ipſe compoſuit. hanc piſcinam ad irrigandum hortulum multo ſudore fabricatus eſt. iſtum ſarculum ad fodiendum terram pluribus annis habuit. Iacebat in ſtratu eius, & quaſi calens adhuc cubile deoſculabatur. Erat autem cellula non plus menſuræ per quadtum tenens, quàm homo dormiens extendi poterat. Præterea in ſublimi montis vertice, quaſi per cochleam aſcendentibus, arduæ valdè, duæ eiuſdem menſuræ cellulæ viſebantur: in quibus venientium frequentiam, & diſcipulorum ſuorum contubernium fugiens moratus eſt. verùm hæ in viuo exciſę ſaxo, oſtia tantùm addita habebant. Poſtquàm autem ad hortulum venerant, &c.

DE POSITIONE, ET SVPPOSITIONE.

POſitio à Priſciano, græcè Theſis, quàm Rhetores Græci Quæſtionem vagam, nullis circunſtantiarum cancellis incluſam, appellant. Latini Quæſtionem infinitam: Cicero in Topicis Propoſitum, in partitionibus Conſultationem: Eſt alicuius cõtemplatiuæ rei deliberatio in quæſtione conſiſtens. Hæc ad nullam certam perſonam, aut ad nullam partem circunſtantiarum pertinet vt ſi tractemus, an nauigandum ſit, an ducenda vxor, an colenda ſit amicitia, an bellum ſit gerendum, an philoſophandum? non addentes Cui,

ſed

sed ipsam rem per se, & accidentia eius requirentes, quid euenturum sit illud facientibus? Si verò ponatur certa persona cū ipsis circunstantijs, tunc dicetur Latinè Suppositio, à Græcis Hypothesis, idest, Quæstio finita. Hanc Cicero in partitionibus Controuersiam, in Topicis Causam appellauit, vt si dicamus, an ducenda sit vxor à Sulpitio, qui sit diues, sine consanguineis, & tamen graues sustineat inimicitias. An Cato tempore belli ciuilis rectè duxerit Martiam vxorem. An Syllæ administranda Respub. Sitne Cæsari bellum suscipiendum aduersus Pompeium.

Positionis duæ sunt species, Ciuilis siuè politica vel actiua, & Contemplatiua siuè speculatiua vel theorica aut priuata. Ciuilis positio est, quæ agit de rebus ad ciues pertinentibus, vt si quæratur, Vtrùm ducenda sit vxor: vtrùm nauigandum; vtrùm ædificandum sit, ambulandum, Rhetoricę opera danda, Resp. administranda philosophis. Contemplatiua est, quæ ad solam animi considerationem pertinet magisque ad philosophos, vt Vtrùm sphæricum vel globosum sit cœlum, vtrùm plures mundi; Anima sitne natura aliqua. Et, eademne mortalis. Et, Mundusne extiterit aliquo tempore: Et id genus alia innumera.

Circunstantiæ autem Suppositionis sunt, nimirùm persona, negotium, causa, & reliqua: hoc modo: si ædificandum sit, hæc deliberatio personam non habet: si inuadentibus Persis Lacedæmonij Spartam munire deliberent, hęc Suppositio

perso-

personas habet Lacedæmonios decernentes. Negotium autem est mnnire spartam. Causa est Persarum aduentus.

Positionum aliæ sunt simplices, aliæ duplices & per comparationem. Simplices sunt, quæ simpliciter de aliqua re quærunt: Vt, An ducenda sit vxor? Duplices sunt, quando queritur, an hoc, an illud sit faciendum, vt, Ducendane est vxor, an manendum in cælibatu? in quibus oportet ad alterum adhortari, ab altero verò dehortari.

Habet Thesis siuè Positio cum Loco communi magnam similitudinem: differunt tamen hoc inter se, quòd Locus communis ad amplificandam, & augendam causam assumitur, Positio ad explicandam & probandam. Et ille quasi certa re declamitatur: hæc disputatur & disseritur. Denique ille affectuum, hæc considerationis est. Ex Reinhardo. Priscianus inquit: Inter Locum communem. & Positionem, hoc est differentiæ, quòd Locus communis est conuictæ & manifestæ rei exaggeratio, Positio autem dubiæ rei questio.

Positio in primis videtur in Præexercitamentis recipere oppositionem & solutionem, prout questio postulat.

Positio diuiditur primùm in Ephodum, quam procemij loco constitues Ephodus, i. dest ingressus, aggressus, acccessus, aditus, dicitur principium è directo ad narrationem tendens. Deindè Legitimo, Iusto, Inutili, Possibili, quæ finalia capita nuncupantur, vteris.

Positio est in genere Deliberatiuo. *Po-*

POSITIO SIVE THESIS
An ducenda uxor.

Aggressus loco Procemij.

SI quis est,qui omnia simul laudare quærat,matrimonium laudet, quippe quod è cœlo descendit, imò cœlum Dijs immortalibus repleuit, Deorumq́ue pater constitutus est,vndè patris nomen ortum. Postquàm Deos tulit, eos genus custodire permisit: deinde in terras veniens, reliquis omnibus generationem attulit; videns quæ dederat, durare non posse,vt persisterent,mutuas successiones excogitauit.In primis quidem homines in fortitudinem extulit,per quos mares & fœmellas procreari statuit, & per quos bellū geritur, his datum vt sacri coniugij munere perdurent. Deinde iustos cū fortibus fecit,vt ab his genus seruetur, ab illis timore coacti homines æqua operentur.Ad hæc sapientes etiam produxit,vt optima prouidere,& eligere queant.Et quod admirabile est, temperantiam inducit, & voluptatum concupiscentiæ modum affert, legemq́ue omnibus voluptatibus imponit. Modestia enim lege coërcet voluptates. Et quod per seipsum accusabile est, accedente matrimonio comprobatur. Quare si matrimonium Deos ceteraq́ue produxit, fortesq́ue simul & iustos,prætereà sapiētes & modestos reddit, cur id non omni laude honoreq́ue dignissimum censeamus?

Oppo-

Oppositio.

LAudemus profectò, inquiet aliquis, quando bonorum id causa est.

Solutio.

FOrtunam mihi, non matrimonium videris accusare. Quoniam mala, quæ homines malè agendo patiuntur, fortuna non matrimonium afferre videtur: quæ verò hominibus expetuntur, matrimonium affert: in his, quæ à fortuna dantur, commodum nullum est. Magis igitur est matrimonium laudandum de his, quę habet, commodis, quàm accusandum de his malis, quæ prębet fortuna. Si magis matrimonij commodis indigemus, quàm fortunæ malis infestemur, vir matrimonio abstinendum? Non enim quę rebus granis accidunt, hæc rerum recusationem pariunt. Scrutemur artes secundum vnumquodque. Agricolas sæpè fulmina deterrent, immissæque grandines agros vastant: nunquid agricolæ propter fulmina & grandines cultos agros deserunt? imò remanent, & colendis agris instant, quamuis cœli tempestate tristentur. Item nautæ insaniente procella naufragium patiuntur: nunquid propter hoc nauigare desinunt? nempè refectis repetè nauibus in discrimen reuocantur: tempus expectant, quo facilè, quò velint, traijcere possint. Ad hæc, bella pugnatorum corpora conficiunt; nec iccirco militiam recusant, quia in bello cadant: sed quia cũ acerrimi pugnatores magnam laude & admiratio-

ratione ſpectantur, in pugna mortem non reformidant. Omne enim bonum latentem ſecum habet aduerſitatem: neque propter aduerſa, bona fugienda ſunt; ſed quæque aduerſa bonorum gratiâ ſubeunda. Quamobrem cum haud abſurdum eſt, agricolas, nautas, militeſque laudis gratiâ queque difficilia equo animo ferre, nos coniugium damnabimus, quia triſtitiam aliquando ferat?

Oppoſitio.

PRobè, inquam, dicet aliquis: quia viduas ſæpè mulieres, pupilloſque pueros facit.

Solutio.

HÆc mortis grauia: ſed hunc affectum natura ſciuit. Tu mihi matrimonium accuſare videris, quoniam nec homines facit immortales, nec Diis mortales annumerauit. Quid igitur dices? Coniugium accuſas eorum quæ mors operatur. Cur hymenæorũ dices quæcunque natura ſciuit? Conuenit cadere quæ orta ſunt. Si cadunt, iccirco cadunt, quia nati ſunt homines. Cadentibus viris, viduas fieri vxores neceſſe eſt: hincque miſeria oritur pupillaris. An matrimonium dices quæ à natura ſolâ nata ſunt, deſtruere? At ego contrà, matrimonium omnem orbitatem ſolùm corrigere exiſtimo. Moritur pater, & hinc pupillus oritur. At alterum patrem coniugium inuenit. Hic autem affectus è matrimonio non procedit, ſed cum matrimonio contectus. Proinde matrimonium orbitatis interitus eſt, non fomentum. Orbitatem ex morte natura duxit: ex hy-

menæis matrimonium transfert, & quam mors viduam esse iussit, matrimonium viro alteri coniugauit: perinde ac vtriusquè amoris custos institutus. Quæ à principio dedit, ablata rursus reddit. Quare orbitatem auferre; non inducere scit matrimonium. Pater morte filijs aufertur: Matrimonio alij in eius locum reparantur; secundus namque pater nascitur. Quid igitur matrimonij commoda calumniaris? quando laudare potiùs, quàm accusare videris hymenæum. Quibus enim matrimonij commoda diminuere studes, his laudare, & non improbare videris: & cùm matrimonium accuses, nos cogis admirari. Quin etiam dum accusationem intendis rerum, benemerentis hymenæi catalogum facis.

Oppositio.

PRobè quidem, dicet aliquis: sed laboriosum est omninò matrimonium.

Solutio:

AT quid magis scit laborem soluere, quàm hymenæus, cùm eo laboriosa omnia leuentur? Gratum est cuiquè cum muliere versari, & postquàm rei venereæ satisfactum est, cum quanta lætitia puer speratur? expectatus apparet, apparens patrem alloquitur, in artium exercitationem venit, patri cooperatur, senatum frequenter concionatur, seniumque patris fouet, ac demum omnia agit, quibus quisque homo indigere videtur.

Epi-

Epilogus.

QVamobrem quæcunque nobis commoda hymenæus inuenit, nemo oratione prosequi potest. Proinde magnus est hymenæus, qui Deos producit, & hominibus tribuit, vt Dij esse videantur. In quibus manere decreuit, iustitiam docet & temperantiam, voluptates concupiscit, quæ obesse nequeunt. Quare matrimonium quàm maximè omnibus exercendum non immeritò constitutum est.

Thesis modò posita perbellè à contrarijs Aphthonij locis, *Quòd scilicet non ducenda sit vxor*, exercitij studio tractatur à Reinhardo.

DE LEGISLATIONE.

LEgislatio est promulgatio alicuius legis, quæ gratia exercitamenti potest accusari & defendi.

Legis igitur latio, quæ in exercitatione versatur, duplex est. Altera enim legem latam tuetur: altera verò accusat.

Est autem lex inuentum donumque Deorum, compositio ciuitatis, delictorumque correctio.

Legislatio est ferè tota suppositio siuè Hypothesis, sed non seruat omnia, quæ sunt Suppositionis; introducitur enim in hac, persona incerta & non omnibus nota. quare positionis plus habebit, minus autem suppositionis. Quatenus enim figu-

ram in se habet personæ, superat consultationem, siuè propositum, positionem, thesin: sed quà definitionem non habet, minor est causâ, idest, hypothesi.

Videtur itaquè Aphthonius sentire, hanc legis inductionem siuè promulgationem magis hypothesi, quàm thesi deseruire.

In hac latione legis vtèris eisdem capitibus, quibus in negotiali, hoc est, Legitimo, iustò, vtili, & possibili.

In primis procemia statues; & post procemia quod contrarium appellatur: deinde supradicta capita, quibus hoc exercitamentum à causa siuè hypothesi differt, ordine collocabis.

Neque circunstantias habet promulgatio legis: vt si quis ferat, vendendos esse honores & magistratus, sine vlla temporis, aut belli, aut pacis ratione.

Hinc differentia est inter hanc legislationem, & constitutionem negotialem. In hac sunt circunstantiæ, in illa (vt iam dictum est) nullæ sunt. Cicero 2. de Inuentione duas facit generalis constitutionis partes: Iuridicialem, ac Negotialem. Hanc ait in ipso negotio iuris ciuilis implicitam controuersiam habere. In ea autem quæritur, Iustum sit, an iniustum? Vtile, an inutile? vt ait Marcus Fabius Victorinus.

Exemplum.

Accuſatio legis iubentis mœchum in crimine deprehenſum impunè interfici.

Procœmion.

LEgem ipſam neque in vniuerſum laudabo, neque penitus accuſabo. Laudabo enim legem, qua adulterorum ſcelera auferuntur. Damnabo verò eorum opiniones, qui in puniendis adulteris, nullas iudicum ſententias expectari cenſent oportere. Nam ſi largitionibus iudicia corrumpantur, ob idque iudicia ſuſtulerimus, iniquas iudicum ſententias arguimus. Si iuſta iudicauerint, cur iuſtum eſt iudices laudare, legem verò huiuſmodi periculo liberare?

Contrarium.

CÆteræ enim leges, quæ vnà congrediuntur, partim his ciuitatibus infeſtæ ſunt, partim cum alijs conſentiunt. Sola verò hæc omnibus legibus aduerſatur. Quare ſi omnia, quæ in Repub. geruntur, vt præfecturæ, ſacerdotia, decreta, iudicia patiuntur, eò magis legem ea pati oportere exiſtimo. Quæcunque in bello benè geruntur, omnia hæc iudicia ſubeunt. Is imperator erit aut pontifex, quemcunque iudicum ſententiæ conſtituerint. Id Senatuſconſulti autoritatem aſſequatur, quod multorum ſententijs fuerit comprobatum. Quin etiam victores præmia conſequi non poſſunt, niſi his digni priùs iudicati fuerint. Quo

igitur pacto non absurdum. Erit omnia in iudicij inquisitionisque discrimen descendere: solam autem hanc legem iudicum recusare sententiam?

Oppositio.

DIcet profectò aliquis, Magna sunt mœchorum scelera.

Solutio.

NVm homicidarũ facinora maiora sunt? Num proditores grauiores? Num sacrilegi proditoribus detestabiliores? At hi omnes iudicia expectant. Neque proditor pœnas dabit, donec iudex sententiam tulerit. Neque homicida cadet donec fuerit homicidij accersitus: neque à superioribvs quicquam pati conuenit, nisi id priùs iudices edocti fuerint. Num igitur absurdum est, maiora maleficia ante iudicis sententiam pœnas non subire: solum autem adulterum sine quæstione, sine iudicio cadere, quem eò magis ante alios iudicare oportebat, quò alijs detestabilior esse censetur?

Oppositio Secunda.

AT quid refert, inquies, an mœchũ interficias, an iudicibus interficiendum tradas, si vtrinque sibi mors æqua imminet?

Solutio.

NImirùm quantum inter tyrannum & legem, ac Rempub. & regnum interest, tantùm in his discrimen esse videtur. Tyranni enim est interficere quem voluerit: legis autem eum, qui iure capitis fuerit accersitus. Populus quæcunque in con-

concione decernit, ea inquirenda esse statuit: Rex autem punit, neque vt populus, lexque inquirit. Contrariæ igitur sunt legis & tyranni actiones. Quo igitur pacto mœchum interficere, vel iudicibus tradere non differet? Ad hæc, qui se ex ipso mœchum interficit, se ipse facti autorem facit: qui verò iudici tradit, autorem facti iudicem statuit. Multò enim melius est, iudicem, quàm accusatorem supplicij esse autorem. Nam qui ex seipso mœchum interimit, alterius gratiâ interemisse videtur. Qui autem iudicio reum tradit, de pœnis tantùm reprehendi potest.

Oppositio Tertia.

DIcet hìc aliquis, Difficiliores pœnas dabit mœchus, si ex improuiso cædatur: quòd si accusetur, antequàm damnetur, tempus id lucrabitur.

Solutio.

COntrà verò sese habebit, si accusetur. Quoniam acerbiorem post hæc vitam ducet. Metus enim mortis est ipsâ morte grauior: Supplicijq; dilatio damni est exaggeratio. Sæpè enim ante tempus cadit, qui se casurum existimat, metumque patietur ipsâ experientiâ longè grauiorem. Quare mors adulteri, quæ præter spem accidit, non sentitur, quando supplicij celeritas sensum celat. Proinde inopinata mors omni ferè dolore & miseriâ caret: quæ verò prouisa est, & jamdudum imminet, cum ipso metu sępius ac sæpius redintegratur. Hæc igitur consideranda sunt, quòd si quis ex se ipso mœchum interficiet, nullum supplicij

testem facit. Si verò iudicibus tradiderit, multos pœnæ spectatores facit. Modus enim mortis in frequenti hominum, spectaculo constitutus, ipsâ morte grauior est, maioremque tristitiam affert: quòd si adulteri clandestinâ morte conficiantur, minore miseria mulctantur. Suspitionem enim multis relinquunt, qua inimicitiæ causâ cecidisse videantur. Accersiti verò & damnati sine cuiusquã calumnia pœnas dabunt. Quare cum perniciosum quid sit adulter, omnemque iniuriam magnitudine superet, in primis accusetur, deinde morte mulctetur, & in iudiciũ potiùs accersiatur, quàm pœnas det, antequàm damnetur, vt sublatis adulterijs, liberorum generatio dilucidiùs enitescat: Extirpatis namque in posterum adulteris, vnde natus est puer, nemo dubitabit. Communis enim naturæ contumelia est adulterium. Ex quo fit, vt communi iudicum sententia auferatur. Proinde timeo, ne mœchus in occulto cæsus, his, à quibus cæsus est, plures sui consimiles, relinquat. Quin etiam alij, qui hos nescient, mœchorũ interfectores imitabuntur. Vndè huiuscemodi cædes non finis, sed principium fiet affectus.

PROXIMA

ET COMPENDIARIA VIA

Ad Rhetoricam artem perdiscendam cùm ex antiquorum, vel maximè Ciceronis, tùm recentium Rhetorum Libris

Monstrata pueris, qui viuâ præceptoris voce, nedum scientiâ destituuntur,

PER IOANN. BAPTISTAM CONRADVM Monsanctopolitanum Picenum.

DE ARTIBVS,

Quas sermocinales vocant.

ARTIVM liberalium tres agunt de sermone, Grammatica, Dialectica, & Rhetorica.

Grammatica docet emendatè loqui: Dialectica probabiliter de quauis re disserere: Rhetorica ornatè & eleganter dicere. vel,

Grammatica quid qua ratione dicatur, ostendit: Rhetorica addit ornatum & cultum: Dialectica argumenta & probabilitatem.

De

De requisitis ad perfectam orationem.

AD perfectam orationem pertinet illud, vt doceat, moueat, delectet. Primum partim Grammaticæ est, partim Dialecticæ. nam illa, vt intelligat auditor, hæc vt fiat illi fides, efficit. Cætera Rhetoricæ sunt; hæc enim & concutere affectibus audientem, & audiendi voluptate tenere suspensum docet.

De differentia inter Dialecticam & Rhetoricam.

DIalectica & Rhetorica habent hanc discrepantiam dissimilitudinemque, quòd Dialectica thesin tantùm considerat: Rhetorica verò hypothesin. de quibus infra. Rursus Dialectica interrogatione & responsione astricta est: Rhetorica propositam rem perpetua oratione decurrit. Dialectica item perfectis vtitur syllogismis: Rhetorica enthymema tum breuitate contenta est. Quid, quòd & illud inter ipsas differentiam facit, quòd Rhetor alium habet præter aduersarium, iudicem: Dialectico verò ille fert sententiam, qui aduersarius sedet, idest opponens. Vide Boëthium lib.4. de differentijs Topicis.

Altera differentia ex Zenone.

ZEno verò Stoicorum sectæ princeps manu demonstrabat differentiam inter Dialecticam & Rhetoricam. Nam cùm compresserat digitos, pugnúmque fecerat, Dialecticam dicebat eiusmodi esse: cum autem manum ipsam dilatauerat, pal-

palmæ illius similem eloquentiam esse aiebat, nimirùm quòd illa breuis & subtilis, hæc copiosa atque ornata sit. Ex Georgio Valla Placentino initio suæ rhetoricæ. Quintilianus etiam lib. 2. institutionis oratoriæ.

De differentia inter Rhetorem, Sophistam, & Oratorem.

HOc inter Rhetorem, Sophistam, & Oratorem interest, quòd Rhetor est, qui docet literas & artes, traditor eloquentiæ. Sophista est, apud quem dicendi exercitium discitur. Orator verò, qui in causis publicis & priuatis plenâ & perfectâ vtitur eloquentiâ. Ita Victorinus in prologo commentariorum suorum in Rhet. Cic. de Inuent. Sophistæ nomen apud Græcos latissimè patet ex Suida, & Autore magni Etymologici. Atquì hìc addimus, quòd dicendi illud exercitium, quod apud Sophistam, de quo agimus, discitur (qualis quidem in Græcia claruit Protagoras, vt est apud Platonem in dialogo ab ipso nomine illius inscripto contra sophistas, sed in alia à priori eius nominis significatione) nihil aliud est, quàm frequens declamandi vsus. Vndè is declamare dicitur, qui in fictis causis siuè thematis, dicendo se exercet, vt postea in veris caussis idoneus planè & expeditus & sit & habeatur. Hinc Declamationes dictæ. Vide Quintil. 2. de Oratoria institut.

De vtilitate Rhetorices.

RHetoricæ vtilitas ex eo intelligitur, præter alia, quòd eloquentia olim ex feris & immanibus

nibus mites redddiderit homines & mansuetos. Cic. in præfatione operum Rhetoricorum de inuentione. Qué præcipuè vt huius artis facilè principem ab omnibus sanè eruditis iudicatum semper sequemur.

Variæ Rhetoricæ definitiones.

RHetorica est benè dicendi scientia. Ex Quintil.lib.2 Orator. institu. Vbi nomen scientiæ communiter, non propriè accipere debemus, vt & ars intelligatur, aut etiam facultas. Nam vtroque hoc nomine propriè dicitur, vtpotè ars siuè facultas benè dicendi. Hanc porrò definitionem vt mancam non recipit Sulpitius Victor; quia, inquit, etiam medicus potest benè dicere de his, quæ spectant ad medicinam; item cæteri artifices habent de suis artibus benè dicendi scientiam; & ideò ille addidit particulam, *in quæstione ciuili*, & facit plenam hoc modo: Rhetorica est bene dicendi scientia, in quæstione ciuili. Sed ex Georgio Leontino, (vt refert. Cicero in Rhetoricis de inuent.) de omnibus vtique rebus dicere Oratoris est. Vel ex Cypriano Soario, Rhetorica est ars, vel doctrina dicendi. Dempsit hic aduerbium, benè, quia subdit idem, Dicere est, ornatè, grauiter, & copiosè loqui. Bonciario verò definitur Ars benè dicendi. Cassandro, Ars quæ docet viam ac rationem rectè & ornatè dicendi. Cornelio Valerio, Est benè dicendi ratio, seù de quacunque re propofita prudenter, ornatè, copioseque dicendi scien-

ſcientia. Alijs, Eſt ars liberalis, quæ viam & rationem eleganter, & ornatè dicendi tradit. Denique Ariſtides oratione Platonicâ primâ pro Rhetorica tom.3. Nihil, inquit, eſt aliud Rhetorica, quàm prudentia cũ facultate dicendi coniuncta; vt non ipſe tantùm quis optima quæque facere, ſed etiam alijs perſuadere poſſit.

De officio Rhetoricæ vel Oratoris.

OFficium Rhetoricæ vel Oratoris eſt dicere appoſitè ad perſuaſionem: Finis verò perſuadere dictione. Cic. in Rhetoricis de inuentione.

De differentia inter officium & finem.

INter officium & Finem ex eodem Cicerone ibidem hoc intereſt, quòd in Officio quid fieri; in Fine, quid Officio conueniat, conſideratur: vt medici officium eſſe dicimus curare ad ſanandum appoſitè: finem verò curatione, hoc eſt, arte medendi ſanare. Itaque quid facere debemus, officium dicimus: illud autem, cuius causâ facere debemus, finem appellamus.

Orator quid?

ORator eſt vir bonus dicendi peritus.

Quomodo acquiratur dicendi facultas.

EA dicendi facultas comparatur naturâ, arte, & exercitatione.

Quænam ſit materia Rhetoricæ.

MAteria ſubiecta Rhetoricæ eſt Quæſtio.

Quæſtio quid?

QVæſtio eſt quicquid ad diſputandum & dicendum proponitur.

Quæ-

Quæstionum genera quot?

QVæstionum genera duo sunt: Alterum infinitum, alterum finitum.

Quæstio infinita est, quæ rem generaliter proponit, remotis personis, temporibus, cæterisque similibus, quæ græcè Thesis, à Cicerone tum consultatio, tum propositum dicitur, vt Expetendane sit eloquentia?

Quæstio finita est, quæ rem proponit certis personis, temporibus, ceterisque similibus circunscriptam & definitam, quæ græcè Hypothesis, latinè controuersia & causa vocatur: vt, Iurene Milo interfecerit Clodium?

Harum quæstionum posterior potiùs pertinet ad Oratorem, seù Rhetorem, quippè quæ in publico, in curia, atque in foro, ciuiumque disceptationibus versatur. Prior verò eatenus ad Oratorem pertinet, quia in definito inest infinitum, & omnes causæ ad vim vniuersi generis referuntur. Ideò & Orator debet tenere naturam theseωn, seù infinitarum quæstionum, licèt earum tractatio sit propria philosophorum. Cic. in Partit. lib. 2. de Orat.

DE TRIBVS CAVSARVM GENERIBVS.

CAusarum igitur (sic enim hypotheses seù finitas quæstiones appellamus) tria sunt genera, Demonstratiuum, Deliberatiuum, Iudiciale. De-

Demonstratiuum seù Laudatiuum, & Exornatiuum, & Concionale, quo laus aut vituperatio continetur.

Deliberatiuum, quod versatur in capiendi consilijs, & dicitur Sermocinatiuum, quo suademus aut dissuademus: hortamur, dehortamur; petimus, consolamur.

Iudiciale siuè forense, quod versatur in foro, & explicandis causis forensibus: quo accusamus aut defendimus.

De Didascalico genere.

Didascalicum seu didacticum genus propriæ causæ genus dici non potest, cùm non ad causam, idest hypothesin, sed potiùs ad infinitam quæstionem, seù thesin referatur: nisi causam voces quamlibet quæstionem, de qua certa ratione & arte disputari vel dici consueuit.

Est igitur Didascalicum seù Didacticum genus, quod continet theses seù locos communes, quæ tractantur secundū præcepta & locos dialecticos.

De instrumento Oratoris.

PRæcipuum Oratoris instrumentum siuè opus est oratio ex diuo Seuerino Boëthio, non illa concisa, hoc est, quæ mutuis interrogationibus & responsionibus Philosophorum, quæ & Dialectice dicitur: sed illa perpetua, qualem videre est in orationibus & declamationibus oratorum, quæ Rhetorice vocatur, quàmuis perpetua oratione Philosophi nonnunquam vtuntur. Fabius 12. de Oratoria institutione libro.

De

De diuisione orationis.

DIuidimus etiam orationem in æquabilem, quietam, & temperatam, ac quotidiano sermoni persimilem, qua philosophi, & dialectici vtũtur, qui sermo dicitur: & sublimem, violentam, concitatam, ornatam, copiosam, quæ Rhetorum propria est, vocaturq́. à Cic. lib. 1. Offic. & in Orat. tum contentio, tum oratio. Quàmuis enim, inquit, omnis locutio oratio est, tamen vnius oratoris locutio, hoc proprio signata est nomine. Habent & sophistæ & historici & poëtæ peculiare sibi quisque orationis genus, à Rhetoricæ orationis vi & sublimitate seiunctum.

Quod sit Oratoris opus, disces ex S. Augustino lib. 4. de doctrina Christiana. Dixit quidam vir eloquens, & verum dixit, ita dicere debere eloquentem, vt doceat, vt delectet, vt flectat. Quorum trium docere (inquit) est necessitatis: delectare suauitatis: flectere victoriæ. Horum item illud, quod primo loco positum est, in rebus ipsis constitutum est, quas dicimus: reliqua duo in modo docendi ea quæ dicimus. Vnde si quis etiam delectare vult eum, cui dicit, aut flectere, non id quocunque modo dixerit, faciet: sed interest quomodo dicat, vt faciat. Sicut est autem, vt teneatur ad audiendum, delectandus auditor: ita flectendus, vt moueatur ad agendũ. Et sicut (quibus verbis idem S. Augustinus instruit etiam concionatorem Ecclesiasticum) delectatur, si suauiter

loqua-

loquaris: ita flectitur, si amet quod polliceris, timeat quod minaris, oderit quod arguis, quod commendas, amplectatur: quod dolendum exaggeras, doleat: cùm quid lætandum prædicas, gaudeat: misereatur eorum, quos miserandos ob oculos dicendo constituis: fugiat eos, quos cauendos terrendo proponis: & quicquid aliud grandi eloquentia fieri potest, ad commouendos animos auditorum, non quid agendum sit, vt sciant: sed vt agant, quod agendum esse iam sciunt. Docere ergo (inquit) est necessitatis, delectare suauitatis, flectere victoriæ. Ideò autem victoriæ, quia fieri potest, vt doceatur auditor, & delectetur, & tamen non assentiatur. Oportet igitur eloquentem non solùm docere, vt instruat, & delectare, vt teneat: verùm etiam flectere, hoc est, mouere, vt vincat, idest, persuadeat.

De Speciebus orationis.

ORationum quatuor ferè sunt species. Ciuilis, qua vtuntur in concionibus, qui administrant Remp. Priuata, qua priuati inter se mutuò colloquuntur. Dialectica, qua compendio ij qui rogant & respondent ad interrogata, disserunt. Et Oratoria, qua vtuntur Oratores, quum laudant, accusant, vel defendunt aliquem.

De partibus Orationis.

PArtes orationis Ciceroni in Partitionibus sunt quatuor, Exordium, Narratio, Confirmatio, & Peroratio. Aristoteli item quatuor, sed pro Narratione habet Propositionem. & rectè, inquit Bon-

ciarius in Notis ad cap. 5. lib. 2. suæ Rhetorices, quia rarus est vsus Narrationis in omni genere. At Propositio, quanquam nulla est ferè Oratio sine illa, tamen non videtur inter præcipuas Orationis partes numeranda: potiùs particula quædam est, quæ vel in fine Exordij, vel principio Confirmationis collocari solet: quandoque etiã ipsius Exordij locum occupat, vt in priuatis consultationibus. Quibusdam quoque sunt quatuor, sed loco Confirmationis ponunt Contentionem, & est idem, quia Contentio continet disceptationem causæ, confirmans nostra, & confutans contraria. Boëthius sex facit, Exordium siuè procemium, Narrationem, Partitionem siuè diuisionem, Confirmationem, Reprehensionem, quam & Confutationem dicimus, postremò Perorationem. Alij easdem partes factas à Boëthio explicant hoc ordine & his nominibus, vt prima sit Exordium, altera Narratio, tertia Propositio, quæ si non est simplex, appellatur Partitio, quarta Contentio seù Argumentatio, quæ fit confirmando, & refutando, quinta Peroratio. Denique Bonciarius Grãmaticus & Rhetor clarissimus, nisi veritus esset à Cicerone, Fabio, alijsque magnis Rhetoribus nimiùm recedere, tres duntaxat fecisset partes Orationis, Exordium scilicet, Cõfirmationem & Conclusionem. Et hoc, inquit, certè commodius est ad discendum, vt Exordium delectet conciliando, Confirmatio doceat disputando, Conclusio moneat incitando.

Exor-

Exordium præparat animum auditoris. Narratio rem gestam exponit. Propositio hinc summam causæ complectitur, cui additur Partitio, quæ membra orationis aperit. Contentio caussæ disceptationem continet, confirmans nostra, & confutans contraria. Peroratio artificiose finit orationem.

DE EXORDIO.

EXordium, ex Cic. ad Herennium, est principium orationis per quod animus auditoris aut iudicis cõstituitur vel præparatur ad audiendum. Ex Martiano verò Capella, Exordium est oratio noscendæ causæ præparans auditorem.

Præparatur auditor ad audiendum, si beneuolus, attentus & docilis reddatur.

Exordij genera siuè partes, siuè membra duo sunt. Principium & Insinuatio.

Principium est oratio, qua statim auditoris animum nobis idoneum & promptum ad audiendum reddimus.

Insinuatio est oratio, qua per dissimulationem, & veluti per circuitionem, hoc est, per ambages quasdam auditoris animum subiens, ipsum ad audiendum præparat.

Si genus causæ honestum erit, licebit Principio vti, vel non vti, cum aliàs auditoris animus tali caussæ faueat, ac eam lubens audire velit.

Si turpe erit, iam Insinuatione vtendum est.

Si dubium siue anceps, à beneuolentia Princi-

pium ſtatuemus, cauendo interim, ne quid turpitudinis pars illa nobis obeſſe poſſit.

Si humile, attentum auditorem faciemus, ſicut in obſcuro docilem, in admirabili beneuolum, attentum, & docilem.

Hæc igitur quinque ſunt genera cauſarum, ex quibus deducuntur Procœmia, ſcilicet Honeſtum, Turpe ſiue admirabile, Humile, Anceps ſiue dubium, & Obſcurum.

Genus cauſæ honeſtum eſt, cum ſtatim animus auditoris, re audita nobis fauet abſque longa pręfatione, vt ſi quis defenderet virum bonum contra parricidam.

Turpe ſiue admirabile eſt, quo animus auditoris alienatus eſt, vt ſi quis apud Regem laudaret libertatem, & ſtatum Reip.

Humile, quód ab auditoribus contemnendum videtur, vt ſi quis ad Senatum de purgandis cloacis referret.

Anceps ſiue dubium, quod in ſe habet partem honeſtatis, & partem turpitudinis, vt in cauſa Iunij Bruti, turpe videtur patrem ſæuire in filios, ſed honeſtum eſt ob patriæ ſalutem.

Obſcurum, quod difficulate rei, de qua agitur, ab auditoribus vix percipi poteſt, quod genus verſatur potiſſimùm circa ambiguè ſcripta.

Cauendum eſt, ne exordia ſint Vulgaria, Communia, Commutabilia, Longa, Separata, Tranſlata, & contra Præcepta, ex Trapezuntio. Quibus addas, oportet, Vitium *Apparatum* dictum.

Exor-

Exordium Vulgare est, quod possit omnibus causis conuenire, vt: Iouem ego optimum maximum inuoco: Vellem, si potuisset fieri, Iudices. De quibus vitiosis duobus exemplis meminit Cicero in Diuinatione contra Q. Cæcilium.

Commune est, quo etiam aduersarius vti posset: vt in causa Horestis, Qui Horestem accusat, vtitur hoc principio: Qui pietatem in parentes colit, is meæ fauebit causæ. Qui defendit, poterit vti eodem procœmio.

Commutabile, quo etiam, paucis verbis mutatis, aduersarius vti posset: vt si in eadem causa Horestis accusator dicat, Vos qui pietatem in matrem amatis, statuite exemplum, ne filij audeant sæuire in matres. Sic contrà aduersarius, Vos qui impietatem in parentes odio habetis, exemplum statuite, vt filij audeant patres ab iniurijs, & insidijs maternis vlcisci.

Longum, quod pluribus verbis, quàm causa postulat, compositum est, quod vitium dicitur crescere in caput.

Separatum, quod non cohæret cum ipsa causa: vt si ageres contra adulterum, & multa diceres de furto, pœnâ furti.

Translatum, quod aliud efficit, quàm causa postulat, vt si quis faciat auditores dociles, cùm debeat facere beneuolos, vt si quispiam diceret, Res est iam aperta, vt vos docui Iudices, audite tantùm rem: re audita cognoscetis, me non immeritò de meo aduersario conqueri.

Contra Præcepta exordium est, quod neque docilem, neque beneuolum, neque attentum facit auditorem, vt si quis diceret: Audite Iudices, quæ vobis sum dicturus: vos hic consideris, vt omnes audiatis: audite igitur, & rem meam, vt debetis, citò expedite,

Apparatum exordium est, quod nimis concinnè, & splendidè compositum est. Id eiusmodi est (inquit Cæsarius) vt secum adferat suspitionem longè ante habitæ præmeditationis. Quo vitio scatent orationes quæ texuntur & habentur vel hoc deplorando sæculo, potiùs ad colligendam auditorum gratiam. Sit igitur (vt Cicero ad Herennium nos admonet) sermo ad dicendum compositus leuis, sit verborum vsitata consuetudo.

Quo pacto auditores beneuoli, attenti, & dociles reddantur,

QVatuor modis ex Cic. in Rhetoricis ad Herennium, auditores facere possumus beneuolos, videlicet aut à nostra, aut ab aduersariorum, aut ab auditorum persona, aut à rebus ipsis. A nostra persona, si de nostro officio & facto sine arrogantia dicemus, aut si quales in Remp. aut in parentes, aut in amicos, aut in eos ipsos, qui audiunt, fuerimus, cum modestia referemus. Ab aduersariorum persona beneuolentiam captabimus, si eos in odium, in inuidiam, in contemptionem non citra illorum culpam adducemus. Ab auditorum persona beneuolentia colligetur, si res eorum sine notabili aliqua assentationis suspitione laudabimus.

mus. A rebus ipsis, si causam nostram moderatè laudando extollemus, & aduersariorum per contemptionem deprimemus.

Attentos auditores faciemus, si pollicebimur nos de rebus magnis, nouis, mirabilibus seù inusitatis verba facturos, aut de illis rebus, quæ ad Remp. pertinent, aut ad eos ipsos, qui audient, aut ad Dei Optimi Maximi religionem, aut ad pietatem, nos esse dicturos.

Dociles tandem auditores reddemus, si summam rei breuiter & apertè exponemus, & si attētos eos faciemus. Nam docilis est ille, qui attentè vult audire.

DE NARRATIONE.

Narratio, ex Cic. in Rhetoricis de Inuentione, est rerum gestarum, aut perinde ac gestarum expositio. Vel vt à Martiano Capella definitur, Narratio est rerum gestarum aut verisimilium expositio. Vel vt à Georgio Trapezuntio, Narratio est oratio, quæ rem gestam aut perinde vt gestam diligenter exponit.

Species Narrationis sunt sex, Ciuilis, Digressoria, Historica, Fictilis, Fabularis, & Actiua.

Narratio Ciuilis, in qua narratur aliquid gestū inter ciues, vt homicidium, sacrilegium, furtum, & aliquod etiam præclarum facinus.

Digressoria, qua Orator digreditur à re, de qua agit, ita tamen, vt eam confirmet, aut labefactet: laudet, aut vituperet.

Historica, qua narrantur res verè gestæ, sed ab ætatis nostræ memoria remotæ.

Fictilis, qua narrantur res quidem fictæ, quæ tamen fieri potuissent, quales sunt narrationes comicæ.

Fabularis, qua narrantur res neque veræ, nequè verisimiles, quales sunt narrationes Ouidianæ, & aliæ fictæ apud Poëtas.

Actiua denique narratio, quâ introducuntur personæ aliquid ex affectu, hoc est, dolore, lætitia, iracundia, odio, inuidia, narrantes.

Narrationis & maximè ciuilis tres sunt virtutes ac laudes, vt sit dilucida, breuis, & verisimilis.

Narratio ideò dilucida debet esse, vt iudex faciliùs intelligat. Breuis, vt faciliùs memoriâ teneatur. Verisimilis, vt iudex credat, quia narratio est quædam quasi sedes, ac fundamenttm constituendæ fidei.

Dilucida fit narratio, si non sit confusa, si vera, si rem vsitatis verbis, & non longo verborum circuitu demonstrat, hoc est, vt Cicero tradit ad Herennium, si vt quicquid primum gestum est, ita primum exponimus, & rerum & temporum ordinem seruamus.

Breuis fiet, si vndè necesse erit, initium sumetur; & si non ab vltimo initio repetentur, quæ dicenda erunt. & si summatim, & non particulatim narrabamus, & si non ad extremum vsque, sed eousque tantùm, quòusque opus erit, prosequemur: & si nullis vtemur transitionibus: & si non à

sco-

ſcopo (quod dici ſolet) deerrabimus: & ſi rerum exitus ita ponemus, vt quæ ante quoque facta ſunt, ſciri poſſint, tametſi reticeamus: & ne bis, aut ſæpius idem dicamus.

Veriſimilis erit narratio, ſi vt mos hominum, vt opinio, vt natura poſtulat, dicemus: ſi perſonarum dignitates & decorum ſeruabuntur: ſi cauſſæ factorum extabunt: ſi faciendi facultates, ſi tempus idoneum, ſi locus opportunus ad rem agendam fuiſſe oſtendentur.

Narratio ſeptem habet circunſtantias, Perſonam, factum, locum, tempus, modum, cauſam, & facultates. Vndè verſiculus:

> Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Poëticæ narrationes non ſemper ſequuntur preſcriptum ordinem. Nam Virgilius deſcripturus errores Æneæ incœpit à Siciliæ diſceſſu vt in 1. Æn.

> Vix è conſpectu Siculæ telluris in altum
> Vela dabant læti, & ſpumas Salis ære ruebant.

Et Homerus deſcripturus bellum Troianum, cœpit ab irâ Achillis. Sed Poëtis licet ordinem mutare, quia ad delectationem ſcribunt.

DE DIVISIONE SIVE PARTITIONE.

Diuiſio à Cicerone & ceteris ferè omnibus Partitio dicta, à nonnullis inter partes orationis recenſentibus Propoſitio vocata. Pars inuentionis eſt, per quam aperimus, quid cum aduer-

ſarijs

sarijs nobis conueniat, & quid in controuersia sit, & quibus de rebus dicturi sumus. Cic. ad Herennium.

Partes Diuisionis sunt duæ: altera, quæ fit per enumerationem, altera verò per expositionem. Diuisio per enumerationem est, qua Orator numero siue ordine demonstrat, quibus de rebus sit dicturus, vt Cic. pro Gn. Pompeio, Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de Imperatore eligendo, esse dicendum. Diuisio per expositionem est, qua Orator ostendit, quid cum aduersarijs conueniat, & quid in controuersia reliquatur, ex qua certum quiddam præscribitur auditori, in quo debeat habere animum occupatum, vt Cic. pro Milone, Nunquid igitur aliud venit in iudicium, nisi vter vtri insidias fecerit? Profectò nihil. Si hic illi, ne sit impunè: si ille huic, tunc nos scelere soluamur. Cæsarius alteram Diuisionis sectionem, præter primam datam à Trapezuntio verbis propè eisdem, licèt sub alijs appellationibus, quibus Cicero, adducit.

Diuisio debet habere breuitatem, ita vt nullum verbum nisi necessarium assumatur; & non debet genera rerum permixtè cum partibus, siuè speciebus implicare, quia vitiosum foret.

Genus rhetoricè definiendo, est quod plures partes, siuè species complectitur, vt animal, sub quo continentur omnes species animalium, scilicet Homo, Leo, Capra, Asinus, Bos, Equus, &c. Itaque pars siue species subest generi, vt patet.

Hinc

Hinc vitioſa eſt hæc diuiſio. v.g. Primùm dicam de cupiditate, deinceps de audacia, poſtremò de auaritia aduerſariorum, vndè hæc incommoda ad Remp. peruenerunt.

Ideò vitioſa eſt, quia commiſcuit genus cum parte. Nam cupiditas eſt genus: auaritia verò eſt ſpecies ſiuè pars,

DE CONFIRMATIONE.

Confirmatio eſt noſtrorum argumentorũ expoſitio cum aſſeueratione. Ex Cic. ad Herennium. vel. Confirmatio eſt oratio, per quam noſtras argumentationes cũ aſſeueratione exponimus. Ita Trapezuntius, ſed in eundem ſenſum, vt luce clarius eſt. Cum aſſeueratione vterque ait, hoc eſt, cum inſtantia quadam, & vocis vultuſque actione.

Confirmatio definitur alibi ab eodem Cicerone illa, per quam argumentando noſtræ cauſæ fidem, autoritatem, & firmamentum adiungit oratio. Hìc in hoc, quod dicit argumentando, ſeparat Confirmationem à Narratione. Nam & ipſa Narratio facit fidem, ſed non argumentando, quod Confirmationis eſt proprium, vt Victorinus vult exponens hunc locum.

Sed de Argumentis Oratorijs dicetur infra.

DE CONFVTATIONE.

COnfutatio, vt Cic. ad Herennium, est contrariorum locorum dissolutio. Locorum ait, hoc est, tum argumentationum, tum argumentorum. vel, vt in Rhetoricis de Inuentione, sed sub nomine Reprehensionis, ita diffinitur. Reprehensio est per quam argumentando aduersariorum confirmatio, aut diluitur; aut infirmatur, aut alleuiatur. hoc est (vt Victorinus exponit) aut tollitur omninò quod aduersarius proposuit, aut infirmatur, aut leuius redditur.

Cæterùm quibus modis aut infirmari, aut omninò dilui possit aduersariorum confirmatio, dicemus infra.

DE PERORATIONE.

PEroratio, quàm alij epilogum, alij conclusionem, vt Quintilianus ait, & cumulum vocant, definitur à Cicerone ad Herennium sub nomine conclusionis, sic: Conclusio est artificiosus orationis terminus. Et in Rhetoricis de inuentione, Conclusio est exitus & terminatio orationis.

Peroratio ex eodem Cic. in Rhetoricis de Inuentione, tres habet partes, Enumerationem, Indignationem, Conquestionem.

Enumeratio est quædam repetitio, per quam res dispersæ & diffusæ per orationem dictæ, vnum

in locum coguntur, & reminiſcendi causâ, in memoriam, & quaſi ſub aſpectum audientium reducuntur.

Indignatio eſt oratio, per quam aut in hominem, aut in rem quampiam magnum odium, aut grauis offenſio concitatur.

Indignatio poteſt tractari ex omnibus locis cõmunibus, tam ijs, qui perſonæ, quàm ijs, qui rei ſiue negotio & cauſæ attribuuntur.

Conqueſtio eſt oratio, auditorum miſericordiam captans.

In conqueſtione, auditorũ animi faciendi ſunt placabiles, mites, miſericordes, quò faciliùs commoueri poſſint ad commiſerationem.

Materia commouendi ad miſericordiam ſumitur ex eiſdem locis, & rebus, ex quibus tractatur materia Indignationis.

Sicut Indignatio, ex Victorino, propria veluti eſt accuſatoris, vt iram in reum ſuſcitet: ita Conqueſtio propria eſt defenſoris, vt in reum ſuſcitet, & prouocet miſerationem.

Peroratio, ex Martiano Capella, non tantùm in fine orationis, vbi tamen proprium locum tenet, ſed vbi materia permiſerit, in exordijs quoque, & narratione per digreſſionem vti poſſumus.

DE RHETORICÆ PARTIBVS.

QVinque partibus conſtat Rhetorica: Inuentione, Diſpoſitione, Elocutione, Memoriâ, & Actio-

Actione seù pronunciatione. Ex his primæ duæ circa res: Elocutio verò circa verba versatur. In his potissimùm tribus ferè tota ars consumitur; Quia in omni oratione præcipuè spectamus, quibus de rebus quis dicat, quo quidque loco atque ordine, quibus denique verbis. Hæc tria nominari à Rhetoribus solent, Inuentio, Dispositio, & Elocutio. Memoria verò & Actio seù Pronunciatio parùm ab arte iuuantur. His adiecerunt quidam, vt Fabius lib. 3. cap. 3. ait, sextam partem, Iudicium, quod Inuentioni subiecerunt, quòd non inuenire solùm quid dicat, sed etiam expendere ac seligere debeat orator. Cic. 1. de Orat.

DE INVENTIONE PRIMA Rhetorices parte.

INuentio est (vt Cicero ad Herennium ipsam definit) rerum verarum aut verisimilium excogitatio, quæ causam probabilem reddant, hoc est, quæ faciant, vt fides habeatur iis, quæ ab Oratore dicuntur ad persuasionem. vel, Inuentio est rerum dicendarum apta excogitatio. Repetenda est hoc loco Inuentionis definitio ex Martiano Capella, per quam planior fiet illa Ciceronis: Inuentio est quæstionum argumentorumque sagax, inuestigatrixq. comprehensio. Hæc, inquam, definitio apertiùs explicat genera causarum, verbo quęstionum. Causæ enim sunt quæstiones ciuiles.

DE

DE DISPOSITIONE SECVNDA Rhetorices parte.

DIſpoſitio, ex Cic. in Rhetoricis de Inuent. eſt, per quam illa, quæ inuenta ſunt, in ordinem quendam rediguntur. vel, vt ab eodem in Rhetoricis ad Herennium definitur, Eſt rerum inuentarum in ordinem diſtributio, quæ demonſtrat, quid quibuſque locis ſit collocandum. Hinc illud Horatij in Arte de duplici diſpoſitione ſiue ordine grauiter (vt omnia) & eleganter expreſſum:

Ordinis hæc virtus erit, & venus, aut ego fallor,
Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici,
Pleraque differat, & præſens in tempus omittat.

Duplex eſt Diſpoſitio, Altera partium orationis, quas ſupra quatuor, vel ſex eſſe diximus; quæ rurſum duplex eſt: Vna, quam ars ipſa & rerum natura adfert, vt primo loco, ſit exordium, inde narratio. Altera, quæ oratoris iudicio relinquitur: incidunt enim nonnunquam cauſæ, in quibus prętermiſſo exordio, à narratione, aut firma aliqua argumentatione incipiendum eſt: vel vbi narratio exordio & confirmationi meliùs ſubijcitur. Non rarò etiam confutatio cõfirmationem pręcedit. In orat. prò Milone. Alia eſt diſpoſitio locorum & argumentorum, quorum in confirmationibus & confutationibus præcipuus vſus eſt. Non nihil tamen in exordijs erit obſeruandum.

DE

DE ELOCVTIONE TERTIA parte Rhetoricæ.

ELocutio est idoneorum verborum & sententiarum ad inuentionem accommodatio. Ita in Rhetoricis ad Herennium Quod ergo, ait Cicero, ad inuentionem, intellige ad res inuentas. vel, Elocutio est orationis ornatus & splendor.

Elocutio, græcè phrasis, dicta cæteris Rhetoricis partibus anteferenda videtur, vt placet Trapezuntio. Hanc autem nemo ausus est oratori eripere. Si quidem Elocutione efficitur, vt cum quis ornatè, distinctè, apertèque dixerit, Eloquentia meritò esse videatur.

Elocutio quia difficillima operis pars, ex Quintiliano lib 8. M. Antonius dicere solitus erat (vt est apud Cic. in primo de Oratore libro) à se quidem disertos visos esse multos, eloquẽtem autem neminem: quod idem Antonius disertos putabat dicere, quæ oportebat: ornatè autem dicere, proprium esse eloquentissimi. Idem Cicero ex Quintiliano ibidem de primis tribus Rhetoricæ partibus hanc tulit sententiam: quòd inuentio quidem, & dispositio, prudentis sunt hominis: eloquentia oratoris.

Quid inter Elocutionem & Eloquentiam.

INter Elocutionem autem & Eloquentiam, licèt quandoque apud autores hæ inter se confundantur

dantur voces, hoc ex Martiano Capella interest, quòd Eloquentia totius operis oratorij vis atque virtus est. Elocutio pars tantùm habetur officij oratoris, vt per quam omnia, quæ mente conceperis (vt vult Quintilianus) promere, atque ad audientes proferre poteris. Vnde sine elocutione (inquit) priora vacua sunt, & similia gladio condito, & intra vaginam suam hærenti.

In quot partibus consistat Elocutio.

CONsistit in duabus partibus Elocutio, in verbis, & sententijs. Verba si Latina sunt & perspicua, magnum ipsi orationi ornatum addunt: sic & figuræ, si aptè & in loco accommodentur, orationem valde exornant. Vndè etiam ipsæ lumina orationis iure dicuntur.

Verba (vt in præsentia accipimus) aut simplicia sunt, aut composita. Rursum Simplicia aut sunt propria, aut translata, aut vsitata, aut ficta. Propria verba dicuntur, cum id significant, in quod primò denominata sunt. Translata sunt cum alium naturâ, hoc est, prima impositione intellectum, alium loco, hoc est, per occasionem præbent. Vsitatis tutiùs vtimur: Noua non sine quodam periculo fingimus. Nam si recepta sunt, modicam laudem afferunt oratori: repudiata etiam in iocos exeunt. Audendum tamen, nam (vt ait Cicero) quæ primò dura sunt, vsu mollescunt. Hucusque de simplicibus verbis ex Quintiliano.

Composita verba ex eodem Quintiliano sunt, quæ aut præpositionibus subiugũtur, vt innocens: aut è duobus quasi corporibus coalescunt, vt maleficus. Componuntur autem verba aut ex duobus Latinis integris, vt superfui: aut ex integro & corrupto, vt maleuolus: aut ex corrupto & integro, vt noctiuagus: aut è duobus corruptis, vt pedissequus: aut ex Latino & peregrino, vt biclinium: aut contrà ex peregrino & Latino, vt Epitogium: aut ex duobus peregrinis, vt Epirhedium.

Quot sint genera siue figuræ orationis non vitiosæ.

RVrsus dicimus nos & distinctiùs, sed ipsius Ciceronis verbis, tria esse genera siue figuras, in quibus omnis oratio non vitiosa consumitur, vnam grauem, quæ & sublimis, & grandis dicitur: alteram mediocrem: tertiam attenuatam, siue tenuem. Grauem idem Cicero deinde definit eam, quæ cõstat ex verborum grauium ampla & ornata constructione. Grauium (inquit) hoc est, magnorum, vt eorum quæ res magnas significant: cuiusmodi verba sententiæ requirunt, quæ & ipsæ in genere graues esse debent. Huic ex aduerso opponitur attenuata siue tenuis figura, vt quæ tam verbis, quàm sententijs vsque ad vsitatissimã puri sermonis consuetudinem demissa est. Mediocris porrò ea est, quæ vt graui quidem illa & sublimi ac grandi figura humilior existit: ita attenuatâ siue tenui grandior est & sublimior.

Qui-

Quidam inter dictas elocutionis figuras siuè charactères hoc per exempla faciunt discrimen, vt dicant, Graui illa & grandi figura Virgilium vsum esse in Æneide: Mediocri in Georgicis: Tenui atque attenuata in Bucolicis. vbi in prima Egloga Melibœus inducitur à Poëta ad Tityrum in hunc modum loquens:

Tityre tu patulæ recubans sub tegmine fagi,
Siluestrem tenui musam meditaris auenâ.

Cicero in Familiaribus Epistolis attenuatâ propemodùm & humili figurâ vsus esse censetur: mediocri in plerisque orationibus: qua etiam ipsi historici ferè vsi sunt, quanquam de Sallustio non idem omnibus est iudicium: Graui autem & sublimi in his libris, in quibus de rebus philosophicis, & in his cū primis, in quibus de rebus diuinis suo more agit. Hac etiam dicendi figurâ seù phrasi non pauci ex Theologis, præsertim priscis illis, tam Græci, quàm Latini vsi sunt, & inter philosophos præ cæteris Plato. Quippe quòd hæc figura crebrioribus tum metaphoris, tum amplificationibus constet, quæ certè plurimùm ad ornatum & splendorem orationis faciunt.

Grauis & sublimis ea, quæ turget & inflata est aut nouis, aut nimium priscis verbis, aut duriter aliundè translatis, oratio non est, licèt ab imperitis sæpe talis habeatur, sed vitiosa. Ex Cic. ad Herenniū. Mediocris deinde figuræ vitium est, quod dissolutum appellatur & fluctuans, vt quæ perfectæ & probè structæ orationis nullam retinet ra-

tionem. quippe quæ dum humilem fugit, nimiùm ascendit: dum tumidã vitat & inflatam, descendit. Attenuatæ postremò figuræ vitiũ illi (inquit) committere solent, qui in illa facetissima verborum attenuatione commodè versari non possunt: vnde & hi tandẽ ad aridum & exangue quoddam genus orationis veniunt, quod non alienum fuerit (vt idem Cicero ait) exile nominari.

De requisitis ad perfectam Elocutionem.

TRes res (inquit Cicero ad Herennium) perfecta Elocutio habere debet, Elegantiam, Compositionem, & Dignitatem.

De Elegantia.

ELegantia facit, vt vnumquodque verbum purè & apertè dici videatur.

Elegantia diuiditur in Latinitatem & Explanationem.

De Latinitate.

LAtinitas est, quæ sermonem seruat purum ab omni vitio remotũ. vel vt Diomedes Grammaticus & alij, Latinitas est incorrupta loquendi obseruatio secundùm Romanam linguam.

Latinitatem vitiant duo, Solœcismus & Barbarismus. de quibus in Grammatica.

De explanatione.

EXplanatio ex eodem Cic. est, quæ reddit apertam & dilucidam orationem. Ea comparatur duabus rebus, scilicet verbis vsitatis, & proprijs. Vsitata verba ea sunt, quæ versantur in sermone & consuetudine quotidiana: Propria, quæ

cius rei, de qua loquimur, verba sunt aut esse possunt.

De Compositione perfectæ Elocutionis.

COmpositio est apta verborum sententiarumq́. collocatio. vel Compositio est verborum constructio æquabiliter perpolita. Æquabiliter (inquit ille) perpolita, id est, quæ ita sit facta verborum constructio & compositio, vt rotundè & volubiliter sine obstaculo fluat dicentis oratio. Quæ compositio integra cõseruabitur, si fugiamus crebras vocalium concursiones, & literarum seù dictionum odiosas, asperas, inconcinnas coitiones, aut repetitiones: in quibus (inquit Bonciarius) maximè iudicio aurium vti debemus. sed aures eruditas esse oportet, & frequenti simul, atque accurata veterum Oratorum lectione conformatas. Meritò igitur Quintilianus nos admonet, quòd in omni compositione tria sunt necessaria, Ordo, Iunctura, Numerus. Ordinis obseruatio in verbis est singulis, & contextis siue coniunctis, hoc est, sententijs. In his cauendum est, ne decrescat oratio, ne fortiori subiungatur aliquid infirmius, vt sacrilego für, aut latroni petulans. Augeri enim debent sententiæ & insurgere, vt optimè Cicero vbique id obseruauit: vt in secunda Philippica, Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, &c. Aliud enim hic alio maius superuenit. Quòd si cœpisset à toto corpore, non rectè ad latera faucesq́ue descenderet. Ita Ioannes Cæsarius. Est præterea

naturalis ordo, ex Bonciario, alius ab alio, vt quę priora atque nobiliora sunt, prius ponantur. Itaque Cœlum ac Terram, inquit: Ortum & Occasum: Diem ac Noctem: Viros & Fœminas potiùs dixerim, quàm retrorsum.

De Iunctura.

IVnctura est, per quam leniter fluit, & nusquam claudicat, nusquam offendit oratio: ea in verbis, in incisis, in membris, in periodis consistit. Primo loco ponit verba, quia ex verborum combinatione (vt docet Diomedes) fit comma, hoc est, incisum: ex commatibus colon, idest, membrum, & ex colis periodus. Periodus est oratio, quæ plenam aliquam atque absolutam sentētiam, pluribus membris inter se cohærentibus comprehendit: vt, Quanquam mihi semper frequens conspectus vester multò iucundissimus; hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendū ornatissimus est visus, Quirites: tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maximè patuit, non mea me voluntas, sed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate susceptæ prohibuerunt. Colon seu Membrū est orationis pars absolutè aliquid significans, sed iustam nondum Periodum efficiens: vt, Etsi vereor Iudices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere, incipientem timere. Comma seu Incisum est orationis pars nondū quicquam absolutè significans: vt, Quod erat optandum maximè, Iudices.

De

De Periodis.

CIcero Periodum Latinè dicit ambitum,circuitum, comprehensionem, continuationem, circumscriptionem, quum tanquam in orbe inclusa currit oratio,quoad insistat in singulis perfectis absolutisque sententijs.

Aristoteles testatur, Periodum orationem esse, quæ naturâ suâ principium habeat & finem. hoc est, partes mutuò ex se pendentes.

Periodus nō tam verborum & orationis, quàm rerum est connexio in vnam sententiam, adeò continua & apta, vt instar partium ferè syllogismi cohæreat,& speciem præ se connexi & propositionis hypotheticæ ferat.

Sunt particulæ quædam ad periodos conficiendas aptæ, velut eæ,quarum altera ferè ad alteram spectat. vt, Tantùm,& quantùm. Adeò vt, Cùm tum, Etsi tamen, Is qui. Breuiter omnes particulę Relatiuæ, Comparatiuæ, Aduersatiuæ, Causales, & Rationales. Huc & ablatiui pertinent absolutè positi, qui ferè consequentiam quandam significant.

Periodos magis recipiunt Exordia & Confirmationes, quàm Narrationes, quæ Colis ferè constant. Sed & Contentiones & Disputationes raras habent Periodos: quòd hæc potiùs breuibus quibusdam membris, quasi aculeis, constent. Quintil. lib.9. cap.4. Vbicunque, inquit, acriter erit & instanter pugnaciterque dicendum, membratim

cæsimque dicemus. Et paulò post. Membratim plerunque narrabimus. Et. Periodus apta Proœmijs maiorum causarum. item communibus locis, & in omni amplificatione multùm & in Epilogis posset.

Commatibus ferè constat sermo quotidianus & familiaris. Nam hic modò breuia, modò longiuscula habet commata, tanquam articulos orationis. Neque tamen ex meris commatibus fit sermo familiaris, sed crebrioribus.

Colis ferè vtimur in Epistolis Familiaribus: nisi si quod argumentum grauius tractetur. Item in Dialogis, & Philosophicis disputationibus.

Constat autem duobus, vt minimum, Commatis. vt, Obsequium amicos, veritas odium parit. Plerunque tamen plura Commata sunt in orationis membro, quemadmodùm articuli plures in membro vno corporis.

Cola in Narrationibus crebra sunt. vt, Milo domum venit, calceos & vestimenta mutauit, paulisper dum se vxor (vt fit) comparat, commoratus est. Sic in Contentionibus. vt, Quid enim tuus ille Tubero districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?

De Numero Oratorio.

NVmerus Oratorius, qui & rhythmus dicitur à Quintiliano lib. 9. est certa quædam temporis

poris in syllabis obseruatio, quæ in principijs & clausulis Periodorum potissimùm adhibetur. Nam media, inquit Bonciarius, liberiora sunt, & ferè artem non desiderant.

Differt hic rhythmus à metro seu versu, quòd versus & certum habeat ordinem & finita spatia, à quo oratio abhorret vel maximè.

Sequentes pedes in principijs adhibentur. Aristoteli probatur Pæon primus, qui ex longa & tribus breuibus constat, hoc est, ex Choreo & Pyrrhichio. Nul — lum ᴗ i ᴗ gi ᴗ tur ᴗ. Non — ha ᴗ bet ᴗ e ᴗ am vim. Cicero tamen frequenter à breuibus syllabis orditur, vt ab Iambo & Anapæsto. No ᴗ uum — crimen. Quid ᴗ e ᴗ nim — tuus. A ᴗ ni ᴗ mad — uerti Iudices. Etiam à longis in grauiore argumento. O — cle — men — ti ᴗ am singularem. Et à Spondeo, sequentibus tamen breuibus. Quan — quam — mi ᴗ hi ᴗ semper. Et — si — ve ᴗ re ᴗ or. Si — quan — tum in ᴗ a ᴗ gris. A Cretico. Si — quid ᴗ est — in me. Ma — xi ᴗ mè — vellem. Quod — pre ᴗ ca ᴗ tus.

In fine hi pedes sunt probati. Aristoteles Pœona quartum commendat, quippe qui pes tetrasyllabus constat ex Pyrrhichio & Iambo, id est, ex tribus breuibus & longa. Te ᴗ me ᴗ ri ᴗ tas. Cui Cicero alios longè præponit; præfert enim omnibus Dichoreum, qui constat ex duobus Choreis, quoque & ipse frequẽtissimè vtitur. Com — pro ᴗ ba — uit ᴗ. Con — se ᴗ cu — tus ᴗ. Ar — bi ᴗ tran — tur ᴗ. Nec rariùs breui syllaba, sequentibus tribus

bus longis, seù vltima breui, Vo ∪ lun – ta – tem Vi ∪ de – ren – tur. Po ∪ te – sta – te. Re ∪ qui – ren – tis. Re ∪ tar – da – rit. Denique Cicero hoc potissimùm obseruat, vel longiores periodos polysyllaba dictione claudat, magisque verbo, quā nomine, & ex nominibus adiectiuo potiùs, quàm substantiuo, aut certè vt altera e x postremis dictionibus polysyllaba sit. Deinde vt hic finis constet ex mistura longarum & breuium syllabarum, dominantibus ferè longis. Ad – mi ∪ ni – stran – dum. Con – si – de ∪ ra – te. De – se ∪ te – ba – tur. Di – mi ∪ ca – re – tis. Mo – re ∪ di – cen – di. Lu – ce ∪ uer – sa – ri. Aut æquali temperatura longarū & breuium, Es – se ∪ vi ∪ de ∪ a – tur. Ex eo genere est Dochimus ex Bacchio & Iābo, id est, ex quinque syllabis constans scilicet, breui, duabus longis, breui, & longa. qui pes quouis loco, vt inquit Cicero, aptus est. A ∪ mi – cos – te ∪ nes. Rariùs autem fit, vt dominentur breues. De ∪ es ∪ se ∪ po ∪ test –, pro ∪ hi ∪ bu ∪ e – runt. Reliqua vberiora & clariora de Numero Oratorio, quem Bonciarius, omni Scriptorum generi esse communem; sed ab alijs negligentiùs, atque incuriosiùs, ab Oratore verò artificiosè, ac diligenter tractari oportere, astruxit, videantur apud eundem, & maximè apud Diomedem Grammaticum.

De dignitate perfectæ Elocutionis.

Dignitas est, vt ad Herenniū tradit Cicero, quę ornatā reddit orationē varietate distinguēs.

Di-

Dignitas diuiditur in verborum & sententiarum exornationem.

Verborum exornatio est, quæ ipsius sermonis insignita continetur perpolitione.

Sententiarum verò, quæ non in verbis, sed in rebus quandam habet dignitatem.

Differentia hæc est inter vtranque exornationem, quòd sententiarum exornationes mutato ordine verborum, modò ipsæ sententiæ congruè dictæ maneant, exornationes & iam remanent. At verborum exornationes mutato ordine verborum, exornationes non remanent.

Nonnulli (vt annotauit etiam, sed obiter Raphaël Regius) ex vulgo siuè Oratorum siuè Grammaticorum, quas Cicero & alij ex classicis Scriptoribus Ciceronem secuti exornationes vocant, impropriè planè & per abusum colores appellare solent; cùm Color apud Oratores propriè dicatur probabilis facti alicuius causa. Vnde & dicere solemus ex Cæsario, quoties factum aliquod narratur siuè proponitur, quod nec verum, nec verisimile est, factum istud nõn habere colorem. Hinc Iuuenalis satyrâ VI. inducit Quintilianum rogatum à mu liere in adulterio deprehensa, vt facti colorem narret, Dic aliquem sodes, dic Quintiliane colorem.

De Exornatione, quæ diuiditur in tropos & schemata, quæ propriè vocantur figuræ, vltimo loco dicemus.

DE

DE CONFVTATIONE.

COnfutatio, vt Cic. ad Herennium, est contrariorum locorum dissolutio. Locorum ait, hoc est, tum argumentationum, tum argumentorum. vel, vt in Rhetoricis de Inuentione, sed sub nomine Reprehensionis, ita diffinitur. Reprehensio est per quam argumentando aduersariorum confirmatio, aut diluitur; aut infirmatur, aut alleuiatur. hoc est (vt Victorinus exponit) aut tollitur omninò quod aduersarius proposuit, aut infirmatur, aut leuius redditur.

Cæterùm quibus modis aut infirmari, aut omninò dilui possit aduersariorum confirmatio, dicemus infra.

DE PERORATIONE.

PEroratio, quàm alij epilogum, alij conclusionem, vt Quintilianus ait, & cumulum vocant, definitur à Cicerone ad Herennium sub nomine conclusionis, sic: Conclusio est artificiosus orationis terminus. Et in Rhetoricis de inuentione, Conclusio est exitus & terminatio orationis.

Peroratio ex eodem Cic. in Rhetoricis de Inuentione, tres habet partes, Enumerationem, Indignationem, Conquestionem.

Enumeratio est quædam repetitio, per quam res dispersæ & diffusæ per orationem dictæ, vnum

in locum coguntur, & reminiscendi causà, in memoriam, & quasi sub aspectum audientium reducuntur.

Indignatio est oratio, per quam aut in hominem, aut in rem quampiam magnum odium, aut grauis offensio concitatur.

Indignatio potest tractari ex omnibus locis cōmunibus, tam ijs, qui personæ, quàm ijs, qui rei siue negotio & causæ attribuuntur.

Conquestio est oratio, auditorum misericordiam captans.

In conquestione, auditorū animi faciendi sunt placabiles, mites, misericordes, quò faciliùs commoueri possint ad commiserationem.

Materia commouendi ad misericordiam sumitur ex eisdem locis, & rebus, ex quibus tractatur materia Indignationis.

Sicut Indignatio, ex Victorino, propria veluti est accusatoris, vt iram in reum suscitet: ita Conquestio propria est defensoris, vt in reum suscitet, & prouocet miserationem.

Peroratio, ex Martiano Capella, non tantùm in fine orationis, vbi tamen proprium locum tenet, sed vbi materia permiserit, in exordijs quòque, & narratione per digressionem vti possumus.

DE RHETORICÆ PARTIBVS.

QVinque partibus constat Rhetorica: Inuentione, Dispositione, Elocutione, Memoriâ, & Actio-

Actione seù pronunciatione. Ex his primæ duæ circa res: Elocutio verò circa verba versatur. In his potissimùm tribus ferè tota ars consumitur; Quia in omni oratione præcipuè spectamus, quibus de rebus quis dicat, quo quidque loco atque ordine, quibus denique verbis. Hæc tria nominari à Rhetoribus solent, Inuentio, Dispositio, & Elocutio. Memoria verò & Actio seù Pronunciatio parùm ab arte iuuantur. His adiecerunt quidam, vt Fabius lib. 3. cap. 3. ait, sextam partem, Iudicium, quod Inuentioni subiecerunt, quòd non inuenire solùm quid dicat, sed etiam expendere ac seligere debeat orator. Cic. 1. de Orat.

DE INVENTIONE PRIMA Rhetorices parte.

INuentio est (vt Cicero ad Herennium ipsam definit) rerum verarum aut verisimilium excogitatio, quæ causam probabilem reddant, hoc est, quæ faciant, vt fides habeatur ijs, quæ ab Oratore dicuntur ad persuasionem. vel, Inuentio est rerum dicendarum apta excogitatio. Repetenda est hoc loco Inuentionis definitio ex Martiano Capella, per quam planior fiet illa Ciceronis: Inuentio est quæstionum argumentorumque sagax, inuestigatrixq. comprehensio. Hæc, inquam, definitio apertiùs explicat genera causarum, verbo questionum. Causæ enim sunt quæstiones ciuiles.

DE DISPOSITIONE SECVNDA Rhetorices parte.

Dispositio, ex Cic. in Rhetoricis de Inuent. est, per quam illa, quæ inuenta sunt, in ordinem quendam rediguntur. vel, vt ab eodem in Rhetoricis ad Herennium definitur, Est rerum inuentarum in ordinem distributio, quæ demonstrat, quid quibusque locis sit collocandum. Hinc illud Horatij in Arte de duplici dispositione siue ordine grauiter (vt omnia) & eleganter expressum:

Ordinis hæc virtus erit, & verus, aut ego fallor,
Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici,
Pleraque differat, & præsens in tempus omittat.

Duplex est Dispositio, Altera partium orationis, quas supra quatuor, vel sex esse diximus; quæ rursum duplex est: Vna, quam ars ipsa & rerum natura adfert, vt primo loco, sit exordium, inde narratio. Altera, quæ oratoris iudicio relinquitur: incidunt enim nonnunquam causæ, in quibus prętermisso exordio, à narratione, aut firma aliqua argumentatione incipiendum est: vel vbi narratio exordio & confirmationi meliùs subijcitur. Non raro etiam confutatio cōfirmationem pręcedit. In orat. pro Milone. Alia est dispositio locorum & argumentorum, quorum in confirmationibus & confutationibus præcipuus vsus est. Non nihil tamen in exordijs erit obseruandum.

DE

DE ELOCVTIONE TERTIA parte Rhetoricæ.

ELocutio est idoneorum verborum & sententiarum ad inuentionem accommodatiò. Ita in Rhetoricis ad Herennium Quod ergo, ait Cicero, ad inuentionem, intellige ad res inuentas. vel, Elocutio est orationis ornatus & splendor.

Elocutio, græcè phrasis, dicta cæteris Rhetoricis partibus anteferenda videtur, vt placet Trapezuntio. Hanc autem nemo ausus est oratori eripere. Si quidem Elocutione efficitur, vt cum quis ornatè, distinctè, apertèque dixerit, Eloquentia meritò esse videatur.

Elocutio quia difficillima operis pars, ex Quintiliano lib 8. M. Antonius dicere solitus erat (vt est apud Cic. in primo de Oratore libro) à se quidem disertos visos esse multos, eloquētem autem neminem: quod idem Antonius disertos putabat dicere, quæ oportebat: ornatè autem dicere, proprium esse eloquentissimi. Idem Cicero ex Quintiliano ibidem de primis tribus Rhetoricæ partibus hanc tulit sententiam: quòd inuentio quidem, & dispositio, prudentis sunt hominis: eloquentia oratoris.

Quid inter Elocutionem & Eloquentiam.

INter Elocutionem autem & Eloquentiam, licèt quandoque apud autores hæ inter se confundantur

dantur voces, hoc ex Martiano Capella intereſt, quòd Eloquentia totius operis oratorij vis atque virtus eſt. Elocutio pars tantùm habetur officij oratoris, vt per quam omnia, quæ mente conceperis (vt vult Quintilianus) promere, atque ad audientes proferre poteris. Vnde ſine elocutione (inquit) priora vacua ſunt, & ſimilia gladio condito, & intra vaginam ſuam hærenti.

In quot partibus conſiſtat Elocutio.

CONſiſtit in duabus partibus Elocutio, in verbis, & ſententijs. Verba ſi Latina ſunt & perſpicua, magnum ipſi orationi ornatum addunt: ſic & figuræ, ſi aptè & in loco accommodentur, orationem valde exornant. Vndè etiam ipſæ lumina orationis iure dicuntur.

Verba (vt in præſentia accipimus) aut ſimplicia ſunt, aut compoſita. Rurſum Simplicia aut ſunt propria, aut tranſlata, aut vſitata, aut ficta. Propria verba dicuntur, cum id ſignificant, in quod primò denominata ſunt. Tranſlata ſunt cum alium naturâ, hoc eſt, prima impoſitione intellectum, alium loco, hoc eſt, per occaſionem præbent. Vſitatis tutiùs vtimur: Noua non ſine quodam periculo fingimus. Nam ſi recepta ſunt, modicam laudem afferunt oratori: repudiata etiam in iocos exeunt. Audendum tamen. nam (vt ait Cicero) quæ primò dura ſunt, vſu molleſcunt. Hucuſque de ſimplicibus verbis ex Quintiliano.

Composita verba ex eodem Quintiliano sunt, quæ aut præpositionibus subiugũtur, vt innocens: aut è duobus quasi corporibus coalescunt, vt maleficus. Componuntur autem verba aut ex duobus Latinis integris, vt superfui: aut ex integro & corrupto, vt maleuolus: aut ex corrupto & integro, vt noctiuagus: aut è duobus corruptis, vt pedissequus: aut ex Latino & peregrino, vt biclinium: aut contrà ex peregrino & Latino, vt Epitogium: aut ex duobus peregrinis, vt Epirhedium.

Quot sint genera siue figuræ orationis non vitiosæ.

RVrsus dicimus nos & distinctiùs, sed ipsius Ciceronis verbis, tria esse genera siue figuras, in quibus omnis oratio non vitiosa consumitur, vnam grauem, quæ & sublimis, & grandis dicitur: alteram mediocrem: tertiam attenuatam siue tenuem. Grauem idem Cicero deinde definit eam, quæ cõstat ex verborum grauium ampla & ornata constructione. Grauium (inquit) hoc est, magnorum, vt eorum quæ res magnas significant: cuiusmodi verba sententiæ requirunt, quæ & ipsæ in genere graues esse debent. Huic ex aduerso opponitur attenuata siue tenuis figura, vt quæ tam verbis, quàm sententijs vsque ad vsitatissimã puri sermonis consuetudinem demissa est. Mediocris porrò ea est, quæ vt graui quidem illa & sublimi ac grandi figura humilior existit: ita attenuatâ siue tenui grandior est & sublimior,

Qui-

Quidam inter dictas elocutionis figuras siuè charactères hoc per exempla faciunt discrimen, vt dicant, Graui illa & grandi figura Virgilium vsum esse in Æneide: Mediocri in Georgicis: Tenui atque attenuata in Bucolicis. vbi in prima Egloga Melibœus inducitur à Poëta ad Tityrum in hunc modum loquens:

> Tityre tu patulæ recubans sub tegmine fagi,
> Siluestrem tenui musam meditaris auenâ.

Cicero in Familiaribus Epistolis attenuatâ propemodùm & humili figurâ vsus esse censetur: mediocri in plerisque orationibus: qua etiam ipsi historici ferè vsi sunt, quanquam de Sallustio non idem omnibus est iudicium: Graui autem & sublimi in his libris, in quibus de rebus philosophicis, & in his cũ primis, in quibus de rebus diuinis suo more agit. Hac etiam dicendi figurâ seù phrasi non pauci ex Theologis, præsertim priscis illis, tam Græci, quàm Latini vsi sunt, & inter philosophos præ cæteris Plato. Quippe quòd hæc figura crebrioribus tum metaphoris, tum amplificationibus constet, quæ certè plurimùm ad ornatum & splendorem orationis faciunt.

Grauis & sublimis ea, quæ turget & inflata est aut nouis, aut nimium priscis verbis, aut duriter aliundè translatis, oratio non est, licèt ab imperitis sæpe talis habeatur, sed vitiosa. Ex Cic. ad Herenniũ. Mediocris deinde figuræ vitium est, quod dissolutum appellatur & fluctuans, vt quæ perfectæ & probè structæ orationis nullam retinet ra-

cius rei, de qua loquimur, verba sunt aut esse possunt.

De Compositione perfectæ Elocutionis.

COmpositio est apta verborum sententiarumq́. collocatio. vel Compositio est verborum constructio æquabiliter perpolita. Æquabiliter (inquit ille) perpolita, id est, quæ ita sit facta verborum constructio & compositio, vt rotundè & volubiliter sine obstaculo fluat dicentis oratio. Quæ compositio integra cõseruabitur, si fugiamus crebras vocalium concursiones, & literarum seù dictionum odiosas, asperas, inconcinnas coitiones, aut repetitiones: in quibus (inquit Bonciarius) maximè iudicio aurium vti debemus. sed aures eruditas esse oportet, & frequenti simul, atque accurata veterum Oratorum lectione conformatas. Meritò igitur Quintilianus nos admonet, quòd in omni compositione tria sunt necessaria, Ordo, Iunctura, Numerus. Ordinis obseruatio in verbis est singulis, & contextis siue coniunctis, hoc est, sententijs. In his cauendum est, ne decrescat oratio, ne fortiori subiungatur aliquid infirmius, vt sacrilego fur, aut latroni petulans. Augeri enim debent sententiæ & insurgere, vt optimè Cicero vbique id obseruanit: vt in secunda Philippica, Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, &c. Aliud enim hic alio maius superuenit. Quòd si cœpisset à toto corpore, non rectè ad latera faucesq́ue descenderet. Ita Ioannes Cæsarius. Est præterea

naturalis ordo, ex Bonciario, alius ab alio, vt quę priora atque nobiliora sunt, prius ponantur. Itaque Cœlum ac Terram, inquit: Ortum & Occasum: Diem ac Noctem: Viros & Fœminas potiùs dixerim, quàm retrorsum.

De Iunctura.

IVnctura est, per quam leniter fluit, & nusquam claudicat, nusquam offendit oratio: ea in verbis, in incisis, in membris, in periodis consistit. Primo loco ponit verba, quia ex verborum combinatione (vt docet Diomedes) fit comma, hoc est, incisum: ex commatibus colon, idest, membrum, & ex colis periodus. Periodus est oratio, quæ plenam aliquam atque absolutam sentẽtiam, pluribus membris inter se cohærentibus comprehendit: vt, Quanquam mihi semper frequens conspectus vester multò iucundissimus; hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendũ ornatissimus est visus, Quirites: tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maximè patuit, non mea me voluntas, sed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate susceptæ prohibuerunt. Colon seu Membrũ est orationis pars absolutè aliquid significans, sed iustam nondum Periodum efficiens: vt, Etsi vereor Iudices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere, incipientem timere. Comma seu Incisum est orationis pars nondũ quicquam absolutè significans: vt, Quod erat optandum maximè, Iudices.

De

De Periodis.

CIcero Periodum Latinè dicit ambitum,circuitum, comprehensionem, continuationem, circumscriptionem, quum tanquam in orbe inclusa currit oratio,quoad insistat in singulis perfectis absolutisque sententijs.

Aristoteles testatur, Periodum orationem esse, quæ naturâ suâ principium habeat & finem. hoc est, partes mutuò ex se pendentes.

Periodus nō tam verborum & orationis, quàm rerum est connexio in vnam sententiam, adeò continua & apta, vt instar partium ferè syllogismi cohæreat,& speciem præ se connexi & propositionis hypotheticæ ferat.

Sunt particulæ quædam ad periodos conficiendas aptæ, velut eæ,quarum altera ferè ad alteram spectat. vt, Tantùm,& quantùm. Adeò vt, Cùm tum, Etsi tamen, Is qui. Breuiter omnes particulę Relatiuæ, Comparatiuæ, Aduersatiuæ, Causales, & Rationales. Huc & ablatiui pertinent absolutè positi, qui ferè consequentiam quandam significant.

Periodos magis recipiunt Exordia & Confirmationes, quàm Narrationes, quæ Colis ferè constant. Sed & Contentiones & Disputationes raras habent Periodos: quòd hæc potiùs breuibus quibusdam membris, quasi aculeis, constent. Quintil. lib.9. cap.4. Vbicunque, inquit, acriter erit & instanter pugnaciterque dicendum, membratim

cæſimque dicemus. Et paulò poſt. Membratim plerunque narrabimus. Et. Periodus apta Proœmijs maiorum cauſarum. item communibus locis, & in omni amplificatione multùm & in Epilogis poſſet.

Commatibus ferè conſtat ſermo quotidianus & familiaris. Nam hic modò breuia, modò longiuſcula habet commata, tanquam articulos orationis. Neque tamen ex meris commatibus fit ſermo familiaris, ſed crebrioribus.

Colis ferè vtimur in Epiſtolis Familiaribus: niſi ſi quod argumentum grauius tractetur. Item in Dialogis, & Philoſophicis diſputationibus.

Conſtat autem duobus, vt minimum, Commatis. vt, Obſequium amicos, veritas odium parit. Plerunque tamen plura Commata ſunt in orationis membro, quemadmodùm articuli plures in membro vno corporis.

Cola in Narrationibus crebra ſunt. vt, Milo domum venit, calceos & veſtimenta mutauit, pauliſper dum ſe vxor (vt fit) comparat, commoratus eſt. Sic in Contentionibus. vt, Quid enim tuus ille Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?

De Numero Oratorio.

NVmerus Oratorius, qui & rhythmus dicitur à Quintiliano lib. 9. eſt certa quædam temporis

poris in syllabis obseruatio, quæ in principijs & clausulis Periodorum potissimùm adhibetur. Nam media, inquit Bonciarius, liberiora sunt, & ferè artem non desiderant.

Differt hic rhythmus à metro seu versu, quòd versus & certum habeat ordinem & finita spatia, à quo oratio abhorret vel maximè.

Sequentes pedes in principijs adhibentur. Aristoteli probatur Pæon primus, qui ex longa & tribus breuibus constat, hoc est, ex Choreo & Pyrrhichio. Nul – lum ◡ i ◡ gi ◡ tur ◡. Non – ha ◡ bet ◡ e ◡ am vim. Cicero tamen frequenter à breuibus syllabis orditur, vt ab Iambo & Anapæsto. No ◡ uum – crimen. Quid ◡ e ◡ nim – tuus. A ◡ ni ◡ mad – uerti Iudices. Etiam à longis in grauiore argumento. O – cle – men – ti ◡ am singularem. Et à Spondeo, sequentibus tamen breuibus. Quan – quam – mi ◡ hi ◡ semper. Et – si – ve ◡ re ◡ or. Si – quan – tum in ◡ a ◡ gris. A Cretico. Si – quid ◡ est – in me. Ma – xi ◡ mè – vellem. Quod – pre ◡ ca ◡ tus.

In fine hi pedes sunt probati. Aristoteles Pæona quartum commendat, quippe qui pes tetrasyllabus constat ex Pyrrhichio & Iambo, id est, ex tribus breuibus & longa. Te ◡ me ◡ ri ◡ tas. Cui Cicero alios longè præponit; præfert enim omnibus Dichoreum, qui constat ex duobus Choreis, quoque & ipse frequētissimè vtitur. Com – pro ◡ ba – uit ◡. Con – se ◡ cu – tus ◡. Ar – bi ◡ tran – tur ◡. Nec rariùs breui syllaba, sequentibus tribus

bus longis, seù vltima breui. Vo ∪ lun – ta – tem Vi ∪ de – ren – tur. Po ∪ te – sta – te. Re ∪ qui – ren – tis. Re ∪ tar – da – rit. Denique Cicero hoc potissimùm obseruat, vel longiores periodos polysyllaba dictione claudat, magisque verbo, quã nomine, & ex nominibus adiectiuo potiùs, quàm substantiuo, aut certè vt altera ex postremis dictionibus polysyllaba sit. Deinde vt hic finis constet ex mistura longarum & breuium syllabarum, dominantibus ferè longis. Ad – mi ∪ ni – stran – dum. Con – si – de ∪ ra – te. De – se ∪ te – ba – tur. Di – mi ∪ ca – re – tis. Mo – re ∪ di – cen – di. Lu – ce ∪ uer – sa – ri. Aut æquali temperatura longarũ & breuium, Es – se ∪ vi ∪ de ∪ a – tur. Ex eo genere est Dochimus ex Bacchio & Iãbo, id est, ex quinque syllabis constans scilicet, breui, duabus longis, breui, & longa. qui pes quouis loco, vt inquit Cicero, aptus est. A ∪ mi – cos – te ∪ nes. Rariùs autem fit, vt dominentur breues. De ∪ es ∪ se ∪ po ∪ test –, pro ∪ hi ∪ bu ∪ e – runt. Reliqua vberiora & clariora de Numero Oratorio, quem Bonciarius, omni Scriptorum generi esse communem; sed ab alijs negligentiùs, atque incuriosiùs, ab Oratore verò artificiosè, ac diligenter tractari oportere, astruxit, videantur apud eundem, & maximè apud Diomedem Grammaticum.

De dignitate perfectæ Elocutionis.

DIgnitas est, vt ad Herenniũ tradit Cicero, quę ornatã reddit orationẽ varietate distinguẽs.

Di-

Dignitas diuiditur in verborum & sententiarum exornationem.

Verborum exornatio est, quæ ipsius sermonis insignita continetur perpolitione.

Sententiarum verò, quæ non in verbis, sed in rebus quandam habet dignitatem.

Differentia hæc est inter vtranque exornationem, quòd sententiarum exornationes mutato ordine verborum, modò ipsæ sententiæ congruè dictæ maneant, exornationes & iam remanent. At verborum exornationes mutato ordine verborum, exornationes non remanent.

Nonnulli (vt annotauit etiam, sed obiter Raphaël Regius) ex vulgo siuè Oratorum siuè Grammaticorum, quas Cicero & alij ex classicis Scriptoribus Ciceronem secuti exornationes vocant, impropriè planè & per abusum colores appellare solent; cùm Color apud Oratores propriè dicatur probabilis facti alicuius causa. Vnde & dicere solemus ex Cæsario, quoties factum aliquod narratur siuè proponitur, quod nec verum, nec verisimile est, factum istud non habere colorem. Hinc Iuuenalis satyrâ VI. inducit Quintilianum rogatum à muliere in adulterio deprehensa, vt facti colorem narret, Dic aliquem sodes, dic Quintiliane colorem.

De Exornatione, quæ diuiditur in tropos & schemata, quæ propriè vocantur figuræ, vltimo loco dicemus.

DE MEMORIA QVARTA Rhetoricæ parte.

MEmoria est firma animi, rerum & verborum, dispositionisque perceptio. In Rhetoricis ad Herennium.

Memoriæ duæ, vna naturalis, altera artificiosa. Naturalis est; quæ nostris animis insita est, & in nobis sine multa cogitatione nata. Artificiosa verò ea est, quam ars & exercitatio auget & confirmat. Vndè Quintilianus, Memoria excolendo, sicut alia omnia, augetur.

Memoria vt eloquentiæ, ita rerum omniũ thesaurus est. Cic. in prologo de Oratore. Omnis enim disciplina memoriâ constat: frustraque docemur (vt Quintilianus ait) si quicquid audimus, præterfluat.

Artificiosa memoria constat locis & imaginibus. Loca vel sunt à natura, vel ab arte siue manu. A Natura, vt mons, antrum, scopulus, aut conuallis aliqua. A manu, vt ædes, theatrum, templum. Imagines sunt formæ quædam & notæ & simulachra eius rei, quam meminisse volumus. v.g. Equi, Leones, Asini, Lupi, Canes, Vulpes, Aquilæ, &c. Videatur Cic. ad Herennium. Quanquàm sine memoria naturali, & declamandi exercitatione hæc omnia parùm prosunt.

Longiora ediscenda, per partes diuidantur. Diuisa enim per partes faciliùs memoriæ inhærescunt.

ſcunt. Inte igitur nos variorum collecta hæc noſtra in partes ſecuimus.

Ediſcenda & memoriæ mandanda, non magnâ voce legenda ſunt, ſed murmure potiùs meditanda. Tum & nocte magis, interdiù maturiùs excitari memoriam manifeſtum eſt propter ſilentium. Ex Martiano Capella.

Simonides poëta perhibetur inueniſſe præcepta memoriæ artificialis, ex memoria per ordinem diſcumbentium in quodam loco, qui ſubitò corruit, dum oppreſſa corpora iacerent confuſa.

De artificioſa Rhetores, de naturali docent Phyſici.

Lædunt memoriam frigus atque humor, crapula, immoderatus potus atque paſtus, nimius ſomnus, cibus ad concoquendum difficilis, & liquidior ac iurulentus, pinguis, crudus: cæpæ, raphanus, ſinapi, caſeus, nuces, &c. Violenta vina, inflatio, grauis ira, mœror, timor, & aliæ perturbationes. Siccitas autem & calor vtrumque moderatum prodeſt.

Iuuant memoriã gubernatio valetudinis, exercitatio moderata, & ordo. Bona corporis conſtitutio ac temperatio magnum eſt naturæ donum.

Qui calidam & moderatã habent cerebri temperationẽ, facilè percipiunt, & bene retinent: qui frigidã, valdè parùm poſſunt capere: qui humidã, facilè quidem capiunt, ſed non diù retinent: contrà qui ſiccaã, malè percipiunt, ſed benè retinent. Senes ſunt obliuioſi, timidi, ebrij, ægroti, &c.

Plu-

Plurimùm iuuat abſtinentia moderata, & victus ratio, & remiſſio quædam ſtudiorum, ne ſit continuus labor, ne ſint intempeſtiua ſtudia, ne ſit animus occupatus curis, ſollicitudine, mœrore, timore, irâ, & cæteris iam ſupra dictis. Vtilis eſt ante prandium, vel cœnam moderata corporis exercitatio.

Nihil æquè prodeſt atque vſus & diligentia legendi, cogitandi, & ſæpè repetendi cogitata, lecta, audita. Cicero vult, memoriam exerceri ediſcendis ad verbum quàmplurimis & noſtris, & alienis ſcriptis. Vide Marſilium Ficinum lib. 1. de ſtudioſorum ſanitate tuenda.

DE PRONVNCIATIONE
Seù Actione quinta & vltima parte Rhetorices.

PRonunciatio à pleriſque huius artis Scriptoribus (vt ait Quintilianus) dicitur Actio.

Pronunciatio nomen accipit à voce, Actio à geſtu,

Pronunciatio ex Cic. ad Herennium eſt vocis vultuſque & geſtus moderatio cum venuſtate.

Partes Pronunciationis (vt vult Martianus Capella) tres colliguntur, Vox, Vultus, Geſtus. Cicero autem, & Quintilianus duas tantùm eius partes faciunt Vocem atque Motum, vt qui Motum ſubdiuidere videantur in Vultum & Geſtum.

Vnam in dicendo Actionem dominari putat M. Cicero. Et Demoſthenes interrogatus, quid eſſet

eſſet in toto dicendi genere ſummum, Pronunciationi palmā dedit. Vndè non immeritò Æſchines cum Rhodi exularet, & legeretur illa Demoſthenis oratio, quam aduerſus eum habuerat, mirantibus cunctis atque laudantibus, ſuſpirans ait, Quid ſi ipſam audiſſetis beſtiam ſua verba reſonantem? Habet enim neſcio quid latentis Energiæ viua vox, & in aures diſcipuli de authoris ore transfuſa, fortiùs ſonat. Hactenus de Aeſchine D. Hieronymus in prologo in Vetus Teſtamentum ad Paulinum meminit eiſdem verbis.

Pronunciationis ſpecies ſunt duæ, altera naturalis, altera artificialis. Naturalis à natura data eſt: Artificialis, quam dicendi ſtudinm & diligentia auget & perficit.

Pronunciatio duas habet partes, ſcilicet figuram vocis, & corporis motum.

Figura vocis diuiditur in Magnitudinem, Firmitudinem, & Mollitudinem.

Magnitudo vocis eſt amplitudo canora, quam natura maximè comparat, cura auget, & maximè conſeruat.

Firmitudo vocis eſt perſeuerantia quædam decora, quam adauget, & maximè conſeruat exercitatio declamationis.

Mollitudo vocis eſt volubilitas quædam facilis, quam pro varietate orationis commodè poſſimus flectere nunc tollendo, nunc deprimendo, nunc æquabili voce pronunciando, quam facilitatem adipiſcimur ex declamatoria exercitatione.

Vt

Vt firmam vocem seruemus, principiã dicenda sunt voce quàm maximè sedatâ & depressâ.

Mollitudo vocis in tres partes diuiditur, Sermonem, Contentionem, Amplificationem.

Sermo est oratio remissa & finitima quotidianæ locutioni, quæ conuenit Proœmio, Narrationi, & Diuisioni.

Contentio est oratio acris & vehemens ad confirmandum, & confutandum accommodata. Vnde confirmationi, & confutationi potissimùm conuenit.

Amplificatio est oratio, quæ aut ad iracundiam inducit, aut ad misericordiam trahit auditoris animum, & hæc conuenit perorationibus,

Sermo in quatuor partes diuiditur, Dignitatem, Demonstrationem, Narrationem, & Iocationem.

Dignitas est oratio cum grauitate, & vocis remissione, vt Cicero pro A. Licinio Archia: Si quid est in me ingenij Iudices, quod sentio, quàm sit exiguum, aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter esse versatum, aut si huiusce rei ratio aliqua ab optimarum artium studijs & disciplina profecta est, à qua ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruisse, earum rerum omnium, vel in primis hic A. Licinius fructum à me repetere propè suo iure debet.

Demonstratio est oratio, quæ voce remissa demonstrat, quid fieri debeat, aut non debeat, vt apud Virgilium Aen. 1.

Si genus humanũ, & mortalia temnitis arma.

At

At sperare deos memores fandi, atque nefandi.

Narratio est expositio rerum, quæ fieri soleant pro qualitate personarum; non solùm in Narratione, quæ est secunda pars Inuentionis, sed etiam in descriptionibus, & narrationibus aliarum rerũ, vt Virgilius Æn. 1.

Illi se prædæ accingunt, dapibusque futuris.
Tergora diripiunt costis, ac viscera nudant.
Pars in frustra secant, &c.

Iocatio est oratio, quæ ex aliqua re pudentem risum & liberalem mouere potest. Vt Cicero contra Hortensium, qui cùm in iudicio Verris in defensionẽ testium dixisset: Non intelligo hæc ænigmata: Cicero subridens subiunxit, Atqui debes, cùm sphingem domi habeas. Acceperat enim Hortensius à Verre Sphigem æneam magnæ pecuniæ.

Contentio diuiditur in Continuationem, & Distributionem.

Continuatio est oratio clamosa, qua nullis ferè interuallis vtimur, sed semper acceleramus. Vt Cic. pro Q. Ligario: Quid enim Tubero tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? Cuius latus ille mucro petebat? Qui sensus erat armorũ tuorum? Quæ tua mens? Oculi? Manus? Ardor animi? Quid cupiebas? Quid optabas? *Deinde voce sedata subiungit.* Nimis vrgeo, commoueri videtur adolescens, ad me reuertar ijsdem armis sui.

Distributio est oratio frequens cum raris inter-

uallis acri vociferatione pronuncianda. Vt apud Virg. in 2. Æn.

Et procul, O miseri, quæ tanta insania, ciues?
Creditis auectos hostes? aut vlla putatis
Dona carere dolis Danaũ? sic notus Vlysses?
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achiui:
Aut hęc in nostros fabricata est machina muros,
Inspectura domos, venturaque desuper vrbi:
Aut aliquis latet error, Equo ne credite Teucri.
Quicquid id est, timeo Danaos, & dona ferentes.

Amplificatio diuiditur in Cohortationem, & Conquestionem.

Cohortatio est oratio, quæ aliquod peccatum amplificans auditorem ad iracundiam incitat, vt apud Virg. in 4. vbi Iarbas Iouem partim alloquitur.

Fœmina quę nostris errans in finibus, vrbem
Exiguam pretio posuit, &c.

Conquestio est oratio, quæ incommodorum amplificatione, audientium animum ad misericordiam inducit, vt Sinon apud Virg. in 2. Æn.

Heu quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora possunt
Accipere? aut quid iam misero mihi denique restat?
Cui neque apud Danaos vsquam locus, &c.

Præterea in Mollitudine vocis obseruandum est, vt

vt pro varietate rerum, de quibus in Oratione agit Orator, varietate vtatur, ita vt quædam ſtrenuè, quædam acriter, quædam clementer, quædam mœſtè, quædam hilariter pronunciëtur. Hactenus de diuiſionibus Pronunciationis Plazo Aſulanus.

Denique cauendus eſt omnis immoderatus geſtus, incondita vociferatio, furioſa brachiorum iactatio. Fugienda quoque inepta quorundam, & maximè noſtri temporis vel Oratorũ vel Concionatorum, cantillatio, & fractæ vocis tremor. Sit honeſtus totus vultus & corporis geſtus, & modeſtus atque aptus, & cũ oratione congruens. Hoc eſt, pro varietate rerum, nunc ſublato capite, nunc demiſſo, nunc ad auditores directo, quando ad dexteram, quandoque ad ſiniſtram verſo, interdum brachio celeri, nunc lento, interdum acri aſpectu, nunc hilari vt oporteat. Ergo omnia ſic repræſententur, vt ex animo agi videantur.

Iuuat ſtatis diebus adoleſcentes exerceri in aliqua priuata palæſtra, quandoque etiam in Comœdijs atque Tragœdijs recitandis, modò accuratè ac diligenter inſtituantur & corrigantur. Bonciarij eſt conſilium.

De Conſtitutione ſiuè Statu.

STatum, Conſtitutionem appellat Cicero, qui: Omnis, inquit, res ſiuè materia, quæ in ſe poſitam habet in dictione aut diſceptatione aliquam controuerſiam, ea ipſa quæſtionem continet aut facti, aut nominis, aut generis, aut actionis. Et hæc quæſtio Conſtitutio appellatur.

Constitutio dicitur Status eò quòd ibi stet omnis controuersia.

Constitutio igitur est prima conflictio causarũ ex depulsione intentionis profecta, hoc modo: Fecisti, non feci, aut iure feci: Hic intentio est, fecisti. Depulsio, non feci, aut iure feci.

Intentio est eius facti aut dicti obiectio, quod in reùm intenditur.

Depulsio contrà est obiectioni, hoc est intentioni resistens oratio, aut negatio.

Omnis quæstio apud Oratores, aut est facti, & dicitur constitutio status coniecturalis: aut nominis, quia vis tantùm vocabuli definienda est verbis, & nominatur constitutio definitiua: aut generis siuè qualitatis quia de genere, hoc est, qualitate negocij controuersia est, & appellatur constitutio generalis: aut actionis, vt cùm caussa ex eo pendet, quòd nõ aut is agere videtur, quem oportet: aut non cum eo, quicum oportet: aut non apud quos, quo tempore, quo crimine, qua pœna oportet, vocatur constitutio translatiua: quia actio ipsa in hoc translationis & commutationis indigere videtur.

Constitutio coniecturalis est, in qua negatur factum, quod obijcitur, & quæritur, an sit factum. Exempli causâ: Teucer accusat Vlyssem de nece Aiacis: Vlysses negat.

Definitiua constitutio est controuersia, in qua agitur de nomine ipsius facti, & quid sit, quæritur. Vt Aliquis furatus est calicem in loco priuato, is

accu-

accusatur sacrilegij, quippe qui negat esse sacrilegium, sed furtum. Atque ita vtrumque necesse erit definire, quid sit furtum, quid sacrilegium.

Generalis constitutio est controuersia, in qua quæritur, quale sit id, quod obijcitur, & reus fatetur, sed quæstio est, iure, an iniuriâ sit factum. v. g. Orestes dicit se iure matrem interfecisse, quia illa patrem interfecerat. Aduersarij negant, matrem indemnatam occidi oportuisse à filio.

Hæc constitutio generalis in duas distribuitur partes, iuridicialem, & negotialem. Iuridicialis est, in qua æqui & recti natura: aut præmlj, & pœnæ ratio quæritur. Negotialis est, in qua quid iuris sit, ex æquitate, & ex more, & constitutione ciuili consideratur. Cui diligentiæ (ait Cicero) præesse apud nos iurisconsulti existimantur.

Translatiua constitutio est controuersia, in qua agitur de modo agendi, vt de mutandis iudicibus, de vero creditore, de vero debitore, de legitimo tempore aliquid petendi, & huiuscemodi rebus.

Iuridicialis constitutio, siuè status, adhuc duplex est, absoluta & assumptiua.

Absoluta iuridicialis constitutio est, quum simpliciter aliquid defenditur, neque extranea re adsumpta, sed per se & absolutè. Quam proinde Martianus Capella ita definit, Absoluta causæ constitutio est, quæ factum ipsum suâ naturâ, & iure defendit. hoc est, in qua reus nullam rem veritam, se fecisse confirmat.

Absolutæ iuridicialis constitutionis loco sunt, Natura, lex, consuetudo, æquum & bonum, iudicatum, pactum.

Natura ius est, quod nobis non opinio, sed quędam vis innata inseuit.

Lex ius est, quod aut populi, aut Imperatorum iussu constitutum est.

Consuetudo ius est, quod sine lege propter vetustatem, æquè ac si legitimum sit, vsitatum est.

Iudicatum, de quo alicuius, vel aliquorum sententia iam constitutum est.

Pactum, quod inter aliquos conuenit.

Assumptiua iuridicialis constitutio est, quæ ipsa ex se nihil firmi dat ad recusationem, sed foris non nihil defensionis assumit. Apertiùs quoque hæc definitur ab eodē Capella in hæc verba: Adsumptiua est, quæ cùm in facto ipso nihil probabile reperiat, confugit ad ipsam causam, eámque iustam, vt facere deberet, allegat. Vt cùm Milo, qui Clodium occiderat, non poterit dicere hominem licuisse iugulare, caussam occidendi astruxit, insidias Clodij.

Assumptiuæ iuridicialis cōstitutionis loci sunt, Concessio criminis, remotio criminis, relatio criminis, & comparatio criminis.

Concessio criminis est, cùm factum reus non defendit, sed vt ignoscatur, postulat.

Concessio criminis habet duas partes, Purgationem & Deprecationem.

Purgatio est, cum factum conceditur, culpa remoue-

mouetur. hoc est, quum negamus dolo esse factũ, aut consultò: sed reum aut per imprudentiam lapsum, aut necessitati parere coactum. Has enim habet partes, imprudentiam, casum, necessitatem. Inter quas quidem partes hoc interesse Martianus Capella docet, quòd Imprudentia fallit, Casus prohibet, Necessitas cogit.

Deprecatio est, cũ peccasse quidem fatemur, sed misericordiam imploramus. Quod genus (aiunt) perrarò potest accidere. Hæc versatur in locis affectuum. Commouent autem misericordiam ætas, dignitas, clementia iudicis.

Remotio criminis est, cùm crimen in alios conferimus, quorum aut iussu, aut fraude, scelere, & culpâ fatemur factum.

Relatio criminis est, cùm coactus aliorum peccatis, & iniuriâ lacessitos fecisse dicitur. vt, Orestes cum matrem occidit, veniam meretur, coactus scelere matris.

Comparatio criminis est, cùm dicimus necesse fuisse alterutrũ facere, & id quod fecerimus, satius fuisse facere. vel, Quum aliquod factum, quod per se ipsum non sit probandum, ex eo cuius causâ factum est, defenditur. Vt, cum obijcitur, fecisti: feci, sed profui.

Ex dictis constitutionibus facilè formari potest ab Oratore disceptatio inter accusatorem & defensorem. vel su'matur ex secundo libro ad Herennium.

De Argumentatione.

Argumenta, alia Dialectica, alia Rhetorica. Loci, qui à Dialecticis traduntur, ab illis si quando opus fuerit, petantur. Nos hìc de his tantùm agamus, qui Rhetorici appellantur, vt quorum vsus etiam num frequentior sit apud Oratores.

Argumentatio, à Cicerone ad Herennium definitur oratio, per quam res aliqua aut probabiliter ostenditur, aut necessariè demonstratur.

Duplex igitur Argumentatio, necessaria, & probabilis. Necessaria ea est, per quam ea demonstrantur, quæ aliter ac dicuntur, nec fieri, nec probari possunt: vt, Si mulier peperit, cũ viro concubuit. Probabilis, per quam ea ostenduntur, quæ ferè fieri solent, aut quæ in hominum opinione posita sunt. Ex his quæ plerunque fieri solent. vt, Si mater est, diligit filium suum, vel omnes nouercæ oderunt priuignos. Quæ in hominum opinione posita sunt, tale exemplum dat Cicero in Rhetoricis de Inuentione: Impijs apud inferos pœnas esse præparatas.

Argumentationum Rhetoricarũ species à Bonciario quo Rhetor non alius post Ciceronem dilucidiùs de hac facultate scripsit, decem numerantur: Ratiocinatio siuè Syllogismus, Enthymema, Inductiu, Exemplum: & hæ quatuor communes sunt tam Dialecticis, quàm Oratoribus. Sex reliquæ sequentes magis propriæ sunt Oratorum,

quàm Dialecticorum, scilicet Dilemma, Inuersio, Sorites, Enumeratio, Comparatio, & Inductio Oratoria siuè Socratica, quam nos ab Inductione communi non secernemus; cùm nulla inter se appareat varietas.

Ratiocinatio est (vt definitur à Cicerone) oratio, quæ ex ipsa re probabile aliquid elicit, quod expositum & per se cognitum suâ se vi & ratione confirmet. vel,

Ratiocinatio est Syllogismus Rhetoricus siue Oratorius in quo rationibus vna vel pluribus additis maiori & minori propositioni, infertur conclusio.

Hic Syllogismus seù Ratiocinatio ferè constat quinque partibus: Propositione: Ratione hoc est propositionis: Assumptione siue rationis confirmatione: Confirmatione seù approbatione, hoc est assumptionis ratione: & Complexione aut connexione siuè collectione siuè conclusione.

Posuimus cum Bonciario in distributione partium Ratiocinationis particulam *ferè*; quia interdum pluribus constat, quàm quinque, cùm vnaquæque probatio suam habeat confirmationem & rationem, atque hæc rursus aliam.

Potest etiam fieri Ratiocinatio quadripartita, quando propositio per se perpiscua nullâ indiget ratione, vel quando assuptio per se aperta non indiget confirmatione. Et quandoque trimembris, cum omittitur probatio vel propositionis vel assumptionis, quia hæ duæ partes non indigent

pro-

probatione. Ergo amplissima absolutissimaque argumentatio quinquepartita est, quam magis approbat Cicero: breuissima, tripartita: mediocris, quadripartita. Denique bimembris, quæ constat ex propositione & assumptione.

Propositio est, per quam summatim ostendimus quid sit quod probare volumus.

Ratio est causa, qua demonstratur id verum esse, quod intendimus. vel Ratio est oratio, qua affirmamus id, quod propositum est.

Assumptio est id, quod ex vi propositionis assumimus. Et Cicero, Rationis confirmatio, inquit, est ea, quæ pluribus argumentis corroborat breuiter expositam rationem.

Confirmatio est oratio, qua confirmamus id, quod à nobis assumptum est. Hanc idem Cicero in Rhetoricis ad Herennium definit sub nomine Exornationis: Exornatio est, qua vtimur rei honestandæ & locupletandæ causâ, cõfirmatur argumentatione. Hæc exemplis (inquit Cæsarius) similibus, rebus iudicatis, & cæteris huiusmodi constat: qua quidem dialectici non vtuntur, quippe quæ exercitatio fit magis speciosa & elegans, quã necessaria.

Complexio est, quæ cõcludit breuiter colligens partes argumentationis.

Exemplum Ratiocinationis quinquepartitæ.

Propositio. Meliùs accurantur ea, quæ consilio & ratione reguntur, quàm quæ sine consilio administrantur.

Ra-

Ratio. Domus ea, quæ ratione & consilio regitur, omnibus est constructior rebus & apparatior, quàm ea, quæ temerè & nullo consilio administratur. Exercitus quoque is omnibus partibus commodus regitur, cui præpositus est sapiens & callidus imperator, quàm is, qui stultitiâ & temeritate alicuius regitur. Eadem nauigij ratio: nam nauis optimè cursum conficit ea, quæ scientissimo gubernatore vtitur.

Assumptio. Nihil autem accuratiùs ac meliùs administratur, quàm mundus.

Confirmatio. Nam & signorum ortus & obitus definitū quendam ordinem seruant: & annuæ commutationes non modò quadam necessitate semper eodem modo fiunt, verùm ad vtilitates rerum quoque omnium sunt accommodatæ, & diurnæ nocturnæque vicissitudines nullâ in re vnquàm mutatæ nocuerunt quicquam.

Complexio. Consilio igitur & ratione mundus administratur.

Aliud exemplum quinquepartitæ ratiocinationis ex Bonciario.

PRopositio. Omnes artes & disciplinæ liberales expetendæ sunt.

Ratio. Quia illæ optimis institutis animum informant, & perficiunt hominem, qui alioqui à Brutis animantibus non multùm differret.

Assumptio. At Rhetorica est vna artium liberalium.

Approbatio. Non enim manuum ministerio, sed ingenij viribus exercetur, & in omni libero populo semper floruit, semperque dominata est.

Complexio. Ergo Rhetorica est expetenda.

Exemplum quadripartitæ ratiocinationis sine ratione ex Cicerone.

PRopositio. Iudices, qui ex lege iurati iudicatis, legibus obtemperare debetis.

Assumptio. Obtemperare autem legibus non potestis, nisi quod scriptum est in lege, sequamini.

Confirmatio. Quod enim certius legis scriptor testimoniũ voluntatis suę relinquere potuit, quàm quod ipse magnâ cũ cura atque diligentia scripsit?

Complexio. Quòd si vos Iudices legibus obtemperare debetis, & id facere non potestis, nisi quod scriptum est in lege, sequamini. quid causæ est, quin istum contra legem fecisse iudicetis?

Exemplum eiusdem quadripartitæ ratiocinationis sine confirmatione assumptionis ex eodem.

PRopositio. Qui sæpenumero nos per fidem fefellerunt, eorum orationi fidem habere non debemus.

Ratio. Si quid enim perfidiâ illorum detrimenti acceperimus, nemo erit præter nosmetipsos, quem iure accusare possimus. Ac primò quidem decipi incõmodum est, iterũ stultũ, tertiò turpe.

Assumptio. Carthaginienses autem persæpe iam nos fefellerunt.

Complexio. Summa igitur amentia eſt, in eorum fidem ſpem habere, quorum perfidiâ toties deceptus ſis.

Exemplum trimembris ratiocinationis ex eodem.

PRopoſitio. Aut metuamus Carthaginienſes oportet, ſi incolumes eos reliquerimus: aut eorum vrbem diruamus.

Aſſumptio. At metuere quidem non oportet.

Complexio. Reſtat igitur, vt vrbem diruamus

Exemplum bimembris ratiocinationis ex eodem.

PRopoſitio. Si peperit, virgo non eſt:

Aſſumptio. Peperit autem. Hic nullâ eſt opus approbatione propoſitionis, aut aſſumptionis. Deinde per ſe conſequitur. Ergo non eſt virgo.

Neque Orator artificioſâ ſemper vti debet argumentatione, præſcriptum ſequendo ordinem; id enim ſatietatem generaret: ſed membra ſeu partes poſſunt eſſe ſine dicſcrimine pro arbitrio dicentis, vt videre eſt apud Oratores. Superiora hoc modo conuerti poſſunt.

Aſſumptio. Carthaginienſes perſæpe nos fefellerunt.

Propoſitio. Stulti ſunt, qui ſemel decepti eorum orationi fidem habent.

Complexio. Summa igitur amentia eſt in eorum fidem ſpem habere, quorum perfidiâ toties ſis deceptus.

De

De Enthymemate.

ENthymema, vt Boëthius asserit, est oratio, in qua non omnibus præmissis propositis festinata infertur cõclusio. Dicitur etiam syllogismus truncatus siue imperfectus, quia ab eo abest Propositio, vel Assumptio. vt, Omnis virtus est laudabilis: igitur Fortitudo est laudabilis. vel, Fortitudo est Virtus: igitur est laudabilis. Hìc Propositio, illic Assumptio deest.

Propriè Enthymema, & optimum, fit ex pugnantibus, hoc est, constat ex contrarijs propositionibus, inquiunt Cyprianus Soarius, & M. Ant. Bonciarius Rhetores: vt, Si fugienda est auaritia, sequitur, vt expetenda sit liberalitas. Cic. Quid? cùm fateamur satis magnam vim esse in vitijs ad miseram vitam, nonne fatendum est eandem vim virtuti esse ad beatam vitam?

De Inductione.

INductio (vt Cicero definit, & post hunc Chirius Fortunatianus) oratio est, quæ rebus non dubijs captat assensionem eius, quicum constituta est: cuius etiam vis est, vt assensione illa fiat, vt ei, cum quo instituta huiusmodi fuit argumentatio, dubia quædam res propter similitudinem earum rerum, quibus ille assensit, probetur. hoc est, Inductio est oratio, qua ex rebus non dubijs, & similibus illi rei, de qua agit Orator, concessis, cogit aduersarium fateri rem ita esse, aut ita erubescere, vt se conuictum fateatur.

Exem-

Exemplum.

DIc mihi quæſo Xenophontis vxor. Si vicina tua melius habeat aurum, quàm tu habes, vtrùm illius, an tuum malis? Illius inquit.

Si veſtem illa, & cæterum ornamentum muliebre precij maioris habeat, quàm tu habeat, vtrùm tuum, an illius malis? Illius illa reſpondit.

Age verò, Si illa meliorem virum habeat, quàm tu habeas, vtrùmne tuum, an illius malis? Tunc Aſpaſia erubuit, & ſe impudentiæ conuicta rubore confeſſa eſt.

Hac forma argumentandi maximè vtebantur Socrates, & omnes Socratici, qui ex eo, quod aduerſarij concedebant, rem ſuam approbare ſolebant.

Conſtat autem Inductio tribus partibus. Prima quod ex vna ſimilitudine ſiuè pluribns. Altera ex eo, concedi volumus. Tertia ex concluſione, quæ aut confirmat conceſſionem, aut quid ex ea conficiatur, oſtendit.

Inductio Bonciario eſt congeries multorum ſingularium ad probandum aliquid vniuersè, ſiuè communiter: vt Piſiſtratus Tyrannus infelicem exitum habuit, Item Phalaris, Dionyſius, Nero, Caligula, & alij plurimi. Ergo omnes Tyranni infelicem exitum metuere debent.

Verùm enimuerò hic ex Cæſario ſciendum eſt, quod Inductio, quæ à Cicerone definitur, ea à Dialecticis apud Latinos exemplum appellatur, apud Græ-

Græcos παράδειγμα paradigma, Quo nomine, Quintilianus ait, & generaliter vsi sunt Scriptores artiū in omnium similium oppositione, & specialiter in ijs, quę rerum gestarum autoritate nituntur. Hinc illud est in Sacro Euangelio apud Ioannem, vbi Christum ille inducit de se loquentem ad discipulos suos, posteaquàm pedes illorū lauisset, Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodùm ego feci, & vos faciatis. Sanè inter autores Latinos, qui huiuscemodi exempla memoriæ prodiderint, præcipuus habetur Valerius Maximus, idque planè ex professo.

De Exemplo.

EXemplum definiunt Soarius & Bonciarius Inductionem imperfectam, nempe in qua ex vno aut paucis singularibus aliquid vniuersè concluditur, vt Dion quia hieme nauigare voluit, naufragium fecit: ergo hieme nauigandum non est. & Sextus Pompeius impar viribus facilè oppressus est ab Augusto, item Lepidus, & Antonius: ergo cum potentioribus pugnandum non est. Hactenus Bonciarius.

Conimbricenses quæst. 2. art. 3. in lib. 1. Prior. Arist. Exemplum, inquiunt, est oratio, in qua aliquid singulare ex simili, aut similibus cōfirmatur, Hungariæ Regina, vocato in auxilium Turca regnum amisit; ergo Mediolanenses, vocato in auxilium Cæsare, ditionem amittent.

Toletus lib. 4. suæ dialectices cap. 18. dixerat priùs definiendo clariùs & distinctiùs: Exemplum est

est ab vno singulari ad alterum propter aliquam similitudinem illatio, vt Deus pepercit Niniuitis pœnitentibus, ergo & nobis parcet, si pœnitentiam agemus. Potest exemplum aliquando à duobus vel tribus singularibus sumi, semper tamen obseruanda est aliqua similitudo inter ea, in cuius virtute vnum singulare ex altero colligatur. Hucusque Toletus.

De Dilemmate.

Dilemma, quod Cicero Complexionem vocat, alij syllogismum cornutum, quia (vt inquit Bonciarius) argumentationis quasi cornua in eo disponuntur, vt qui alterum effugerit, in alterum incurrat, ideoque vtrinque ferit aduersarium: est argumentatio, in qua vtrumuis concesseris, reprehenditur. vt, Gabinium admonendum non censeo. Nam si bonus est, admonitione non habet opus, sin improbus, eam contemnet.

Aliud.

De futuris angi metu non debemus. Etenim si bona sunt, frustra metuimus, sin aduersa, infelicitatem duplicamus.

Aliud simile superiori ex Cicerone inducente, patriam cum Catilina sic loquentem: Discede, atque hunc mihi timorem eripe: si verus, ne opprimar: sin falsus, vt tandem aliquando timere desinam.

Vitiosæ complexiones ex Macropedio sunt, in quibus aut vtraque pars, aut altera conuerti, & in aduersariū retorqueri potest, vt: Accusandus omni-

nò non eſt. Nam ſi veretur, quid eum accuſas, qui probus eſt? ſi non veretur, quid eum accuſas, qui id parui æſtimet: Hic inuertitur vtraque pars. Prior, vt: Imò ſi veretur, maximè eſt accuſandus, vt corrigatur. Poſterior, vt: Si non veretur, hoc ipſo eſt accuſandus, quia improbus eſt. Aliud. Non eſt hic puer tradendus priuato præceptori. Nam ſi eſt literarum ſtudioſus, non habet opus priuata inſtitutione: Sin ocio eſt deditus, nihil proderit diſciplina ignauo. Hic inuertitur prior pars: Imò ſi ſtudioſus eſt, plus proficiet, ſi priuatum præceptorem habuerit.

In quo inuerſionis genere mirabilis extitit Aonius ille Palearius Verulanus, dum Marci Tullij Ciceronis pro L. Muraena orationem ita in eundem retorqueret Muraenam, vt qui ſunt præſtanti iudicio viri aſſerant (quemadmodùm in quadam epiſtola Coloniâ ad Carolum Laurenum ſcripſit Orgetorix Sphinter) ſi reuiuiſcat M. Tullius, iturum eum in Aonij ſententiam, ſi iudex detur, condemnaturum eſſe Muraenam. Qui obſeruantiſſimi ſunt puræ caſtæq. elocutionis aiunt, ſe non dubitare, ſi optimis illa temporibus, quibus lingua Latina floruit, ſic ſcripta fuiſſet, futuram fuiſſe in honore, & precio. Laudant omnes dicendi genus ſeuerum & graue, numerum in cœlum tollunt, laudant ſuauitatem ingenij, quòd antiquum obtineat, hæc repræſentet mirificum ciuem Romanum, quòd Reip. timeat, quòd augeat periculum, quòd vereatur, ne abſoluto Muraena

raena milites,qui posthac duces sequentur,incendant Imperatores prauis cupiditatibus,quòd omnibus vestigijs assequatur; & diuinet interitum libertatis: fingat tamen qui legit, se eo tempore esse, quo iudicium, illud fuit, quo maximè hæc dici vel potuerunt vel debuerunt. Hinc,

De Inuersione.

INuersio ex Bonciario est argumentatio in aduersarium retorta. vel,

Inuersio est argumentatio, in qua ex aduersariorum ratione non id quod ipsi volunt, sed quod vtile nobis est, sequi demonstramus. Ex Macropedio.

Constat autem Inuersio Propositione, Ratione, & Inuersione.

Exemplum.

P*Ropositio*. Non sunt legendi Poëtæ;

Ratio. Demulcent enim legentis animum & alliciunt:

Inuersio. Imò ob id ipsum sunt legendi, quia demulcent animum.

Eædem partes agnoscuntur in exemplo allato à Bonciario, licèt non explicatæ: vt,

Propositio. Falsò de me quereris,

Ratio. Quasi te oderim, quia verbero:

Inuersio. Odissem potiùs, si non verberarem, & te luxu corrumpi finerem.

De Sorite.

SOrites, latinè Ciceroni 2. de Diuin. vertitur acerualis, definitur à Bonciario coaceruatio

propositionum, quibus veluti gradibus ad conclusionem descenditur, Soriten vulgò vocant *de primo ad vltimum*: Græci captiosum & multiplex argumentandi genus, in quo ex vno concesso ad multas conclusiones annexas assurgunt. Exemplum ex Bonciario: Græcia vniuersa regebatur ab Atheniensibus, Athenienses à Themistocle, Themistocles ab Vxore, Vxor à filio; Ergo ab vno puero tota Græcia regebatur.

In quo Sorite prædicatum Primæ propositionis oportet fieri subiectum Secundæ, & ita deinceps, quousque perueniatur ad Conclusionem; in qua subiectum primæ iungi debet cum prædicato extremæ propositionis.

Sorites persimilis est Gradationi. Differuntque tantùm in hoc, quòd Sorites necessariò conclusionem habet: Gradatio verò caret illâ. Item Sorites est ad probandum, sed Gradatio ad ornandũ.

Cicero lib. 5. Tusc. quæst. probans, id solum esse bonum, quod honestum, sic argumentatur: Etenim quicquid est, quod bonũ sit, id expetendum est: quod autem expetendum, id certè approbandum: quod verò approbaris, id gratum acceptumque habendum: ergo etiam dignitas ei tribuenda est. Quod si ita est, laudabile sit, necesse est. Bonum igitur, omne laudabile, ex quo efficitur, vt, quod sit honestum, id sit solum bonum.

Zeno Stoicorum princeps & autor frequentioribus Soritis vtebatur. Sed maximè omniũ Chrisippus solitus erat per Soriten argumẽtari, & gradatim

datim interrogare: ex quo argumentatio fiebat numerosior, & acervus quasi quidam gradatim cumulabatur propositionum & probationum: vt ita conclusio efficeretur ad probãdum quod moliebatur, vltra præscriptum argumentationis.

De Enumeratione.

ENumeratio est, in qua pluribus rebus sufficiẽter expositis & ceteris infirmatis, vna reliqua necessariò confirmatur.

Constat autem Enumeratio Expositione, Infirmatione, Conclusione: Et interdum tantùm Infirmatione, & Conclusione.

Fabius appellat Enumerationem, argumentum à remotione. Dialectici vocant argumentationem à sufficienti diuisione, siue à sufficienti partium enumeratione.

Exemplum Enumerationis constantis tribus partibus.

EXpositio. Si illum ab hoc dicis occisum, cùm sine causa nunquam suscipiatur maleficium, necesse est aut metu, aut odio, aut spe alicuius cõmodi aut amici alicuius gratiâ ab hoc esse occisũ.

Infirmatio. Sed neque odium, neque metum, neque spem intercessisse, neque ad amicũ aliquem mortem eius pertinere probare poteris.

Conclusio. Relinquitur ergo ab hoc non esse illum occisum.

Aliud ex Bonciario.

EXpositio. Quod Furtum domi meæ factum est, id oportet vel à te vel à Lucio, vel à Paullo esse

factum, quia præter vos tres nemò domi fuit.

Infirmatio. At mihi compertum est neque Lucium, neque Paulum fecisse.

Conclusio. Sequitur, vt tu feceris.

Exemplum constantis duabus, vt Bonciarius.

I*Nfirmatio*. Non Senator es, non Eques; non Plebs;

Conclusio. Ergo Ciuis Romanus esse non potes.

Item.

I*Nfirmatio*. Rhetorica non est Prudentia, non Iustitia, non Temperantia, non Fortitudo:

Conclusio. Ergo non est virtus.

Confutatur autem Enumeratio, si aut vnum aliquod membrum, quod ab aduersario præteritum erat, profertur, aut si vnum quippiam ex his, quæ prolata sunt, falsum esse ostenditur.

De Comparatione.

SEquens tribus modis, scilicet A maiori, A minori, A pari tractanda Oratoria Comparatio deducta est ex illis eisdem tribus Dialecticis locis, de quibus Logici, & maximè Toletus lib. 5. suæ Introductionis in Dialecticam Aristotelis c. 8, Tractatur autem Cõparatio (inquit Bonciarius) tribus dictis modis, hoc est,

A maiori argumentatio vocatur, cum persona siue res maior probationem præstat, minor concluditur: vt, Qui parentes violauit, multò magis cognatos atque amicos violabit. &, Qui Sacrilegium fecit; furtum faciet multò magis.

Con-

Contra, A minori dicitur argumentatio, cum persona siue res minor probationem præstat, maior concluditur. Cic. Mortem, quam etiam virgines Athenienses pro patria contempsisse dicuntur, ego vir consularis timerem? id est, contemnerem multò magis.

Denique A pari formatur argumētatio, quoties paria inter se conferuntur: vt, Licuit Catoni sequi bellū ciuile; Ergo licebit etiam Ciceroni. Si vxor viro fidem præstare debet; Ergo etiam vxori vir debet. Hactenus de Comparatione ad verbum, paucis omissis, Bonciarius.

DE GENERE DEMONSTRATIVO.

DEmonstratiuum genus ex eo nominatum est (vt vult Cornel. Valerius, quem sequitur M. Ant. Bonciarius) quòd quale sit aliquid demonstret, vel laudando, vel vituperando, vel narrando vel docendo. Vocant etiam Panegyricum, hoc tertium dicendi genus, vt Cic. in Orat. Sed quoniam plura sunt orationum genera, eaque diuersa, neque in vnam formam cadunt omnia, laudationum, scriptionum, & historiarum, & talium suasionum, qualem Isocrates fecit panegyricum. Hinc πανηγυρικοὶ λόγοι, id est panegyricæ orationes. Et absolutè Panegyricus, ci, g. m. dicitur sermo laudatiuus, demonstratiuus, popularis, plausibilis, splendidus. Panegyris enim huius panegyris pen. corr. f. g. id est nundinæ, publicus conuentus, ludi publici, vt sunt Olympici, nec non similes, vt inquit Interpr. Thucyd. quales quinto quoque

anno Athenis celebrari solitos scribit Herodot. lib. 6. Nam in huiusmodi conuentibus orationes habebãtur, idq́. plerunque de vtilitatibus Greciæ.

Eius duæ sunt partes, Laus, & Vituperatio. Laus est oratio amplificatiua rerum bonarũ, quas certæ personæ orator inesse dicit. Vituperatio contrà oratio est amplificatiua rerum malarum, quas certæ personæ orator inesse dicit. Ideoque hoc Genus respicit tempus præsens; estque eius finis sola honestas.

Demonstratiuum genus est triplex. nam aut personæ laudantur, vt Cæsar. aut facta, vt Scæuolæ factum. aut res, vt Iustitia.

De Personarum laude.

TAle hìc debebit esse exordium, quale & in cęteris ferè, vt conciliet ac beneuolum faciat auditorem, vt attentum, vt docilem. Hoc enim efficere conamur in exordijs, vt amicè, vt intelligenter, vt attentè audiamur, sicut inquit in Partitionibus Cicero.

Beneuolentia petitur vel à personis, vel à rebus. in primis ab officio.

Attentos reddimus auditores, si significemus nos de rebus magnis, & necessarijs, & vtilibus dicturos.

Dociles reddimus auditores, si breuiter summam negocij velut oculis subijciamus, & cùm ordinem rerum dicendarum ostendamus, tùm in partes orationem diducamus. De quibus etiam supra.

In Genere Demonstratiuo sumuntur proœmia, à persona nostra, ab eius, de quo dicturi erimus, ab eorum, qui audient, & à re ipsa.

Exordia in hoc genere liberiora sunt, quàm in Deliberatiuo, & Iudiciali: sæpè autem ab aliquo ducuntur affectu, velut à querela, gratulatione: item à studio & officio, à rei magnitudine, à virium nostrarum extenuatione; per quæ beneuolos, attentos, dociles facimus Auditores. Bonciarius.

Cauendum, ne Exordia sint vitiosa, & maximè ne longiùs petantur, aut nimis prolixa sint.

Narratio, qua personæ hic laudantur, est historica commemoratio totius vitæ, vbi perpetuam rerum seriem in dicendo sequimur.

Loci personarum sunt, Natales, pueritia, vbi de ingenio, & educatione, & disciplina dicitur. Adolescentia, vbi studia considerantur. Iuuentus & senectus, vbi res publicè aut priuatim gestæ. Mors, & opinio post mortem. Breuiter in laude personarum ostendendum est, quemadmodùm quisquam generatur, quomodo & à quibus educatus, quos habuerit artiū liberalium magistros, & quos viuendi præceptores: quibus studijs iam inde à prima ętate fuerit deditus: quid aut sapienter, aut iustè, aut fortiter, aut magnificè senserit, dixerit, gesserit. Hunc ordinem seruat Æmilius Probus describens vitam Epaminondæ. Si quid insignius occurrerit, id amplificandum, & proponendum est ad imitandum, quod ipsum quoque

præſtitit idem Æmilius agens de abſtinentia Epaminondæ.

Hic etiam de tribus bonis ſcilicet externis, corporis, & animi meminerimus.

Externa bona ſunt Genus, diuitiæ, nobilitas, opes, honores, autoritas, amicitiæ, liberi, propinqui, affines, & alia id genus.

Corporis bona, Forma, ſpecies, & ſtatura appoſita ad dignitatem, robur, vires, bona valetudo, celeritas, agilitas membrorum, oculi venuſti, flaui capilli, color ſuauis.

Animi bona, Ingenium, memoria, doctrina, & eruditio, probitas, integritas, pietas. Virtutes, velut prudentia, iuſtitia, fortitudo, temperantia. Item comitas, humanitas, benignitas, affabilitas, clementia, ciuilitas morum, & ſimilia.

Ab illis bonis, preter ea, id eſt, animi, quæ ſua cuiuſque propria ſunt, perinde quiſque, vt ijs fuerit vſus, ita aut laudari aut vituperari meretur. Hinc Cicero: Genus, inquit, forma, vires, opes, diuitiæ, cæteraque, quæ fortuna det, aut extrinſecus, aut corpori, non habent in ſe veram laudem, quæ deberi virtuti vni putatur. Sed tamen quòd ipſa virtus in earum rerum vſu ac moderatione maximè cernitur, tractanda etiam in laudationibus hæc ſunt naturæ & fortunæ bona. In quibus eſt ſumma laus non extuliſſe ſe in poteſtate, non fuiſſe inſolentem in pecunia, non ſe prętuliſſe alijs propter abundantiam fortunæ: vt opes & copiæ non ſuperbiæ videantur, ac libidini, ſed bonitati,

ac

ac moderationi facultatem ac materiem dedisse.

Hìc nulla confirmatio est, quia non agitur de dubijs rebus. Tametsi incidunt interdum loci, vbi confirmatione & confutatione sit opus. vt, si quis laudet C. Cæsarem, excusabis eum, quòd bellum aduersus patriam mouerit.

In aliquo vituperando eadem ferè ratio est artificij locorumque, sed in diuersum commutata. Recenseri enim debent Natales obscuri, educatio mala, adolescentia luxu perdita, iuuentus omnibus flagitijs contaminata, senectus libidinosa, mors tali vitâ digna. De fortunæ bonis, quòd his malè sit vsus.

De Laude facti.

IN Laudatione facti exordimur similiter, ac paulò antè diximus. Narratione integra non sæpe vtimur, nisi sicubi dicendum apud eos foret, qui non prorsus tenerent historiam facti.

Loco Narrationis ponitur Propositio, qua summam rei breuiter complectimur.

Loci Confirmationis sunt, Honestum, vtile, facile aut difficile. nam hos locos mutuamur è genere deliberatiuo. Perinde enim vt facienda suademus, ita facta laudamus. Honestum à rei natura petes, cætera ferè à circunstantijs.

Raró est hìc Confutatio, quia non laudantur ambigua, sed certa. Sunt autem loci Confutationis, si qua fortè inciderit, contrarij locis Confirmationis.

Peroratio cōstat breui enumeratione, & affectu.

Enu-

Enumeratio est breuis eorum, quæ tota oratione sparsim dicta sunt, repetitio.

Affectus est vehementior animi commotio: vt, misericordia, indignatio, ira, inuidia, timor, spes, gaudium, dolor.

De Demonstratione rerum.

IN demonstratione rerũ potissimùm exordiendum est ab aliqua singulari laude illius rei, de qua es dicturus.

Si quis velit rem turpem laudare, tunc insinuatione anteuertendi sunt animi auditorum, & principio orationis excusanda turpitudo, quæ in causa videtur esse.

Neque aliqua in hoc genere narratio solet esse, nisi priuatarum actionum, quæ occurrunt inter laudandum (inquit Bonciarius) sed propositio, siuè partitio ponitur narrationis vice. Exemplum habemus in historiæ laude apud Angelum Politianum: Inter omne scriptorum genus, quibus vel Græcæ vel Romanæ literæ floruerunt, ij mihi haud dubiè de humanis rebus egregiè meriti esse videntur, per quos aut excellentium populorum, aut summorum principum, aut omninò illustriũ virorũ res gestæ fidelibus historiarum monumentis commendatæ sunt.

Confirmationis (quæ veluti perpetua quędam Narratio est) loci hic sunt ijdem, qui supra; Honestum, vtile, facile aut difficile. Honestas ab inuentoribus petitur, vtilitas à fine. Iam interdum

fa-

facultas, interdum difficultas laudanda erit, idque prout res ipsa poposcerit.

Genus Demonstratiuum respicit tempus præsens.

Preterea notandum est, quòd Orator potest separatim vti genere Demonstratiuo, & frequentissimè vnà cum genere Deliberatiuo, vt Cicero pro lege Manilia laudat Pompeium, vt persuadeat, eum vnicum Imperatorem deligendum esse. Et vnà cum genere Iudiciali, vt idem Cicero pro Milone laudat ipsum Milonem, contra vituperat Clodium, vt ostendat & cõfirmet, ipsum Clodium iure cæsum fuisse à Milone.

Dictio seù figura dicendi in genere demonstratiuo libera est, virtutem prædicans & exornans.

DE GENERE DELIBERATIVO.

IN Genere Deliberatiuo, quo suademus aut dissuademus, hortamur aut dehortamur, exordiendum est ab officio personæ, à necessitate vel vtilitate rei, à periculi magnitudine, & similibus. Cuiusque generis finis est vtilitas cum honestate coniuncta.

Si qua fuerit hìc narratio, eam sequi debet Propositio. nam hæc quidem non potest vlla in causa omitti. Neque verò simpliciter proponendum, sed cum amplificatione quadam, si res ita postularit.

Confirmationis loci in hoc genere sunt, Honestum, vtile, facile, iucundum, tutum.

Honestas complectitur Virtutes, prudentiam, iusti-

De Enthymemate.

ENthymema, vt Boëthius asserit, est oratio, in qua non omnibus præmissis propositis festinata infertur cõclusio. Dicitur etiam syllogismus truncatus siue imperfectus, quia ab eo abest Propositio, vel Assumptio. vt, Omnis virtus est laudabilis: igitur Fortitudo est laudabilis. vel, Fortitudo est Virtus: igitur est laudabilis. Hìc Propositio, illic Assumptio deest.

Propriè Enthymema, & optimum, fit ex pugnantibus, hoc est, constat ex contrarijs propositionibus, inquiunt Cyprianus Soarius, & M. Ant. Bonciarius Rhetores: vt, Si fugienda est auaritia, sequitur, vt expetenda sit liberalitas. Cic. Quid? cùm fateamur satis magnam vim esse in vitijs ad miseram vitam, nonne fatendum est eandem vim virtuti esse ad beatam vitam?

De Inductione.

INductio (vt Cicero definit, & post hunc Chirius Fortunatianus) oratio est, quæ rebus non dubijs captat assensionem eius, quicum constituta est: cuius etiam vis est, vt assensione illa fiat, vt ei, cum quo instituta huiusmodi fuit argumentatio, dubia quædam res propter similitudinem earum rerum, quibus ille assensit, probetur. hoc est, Inductio est oratio, qua ex rebus non dubijs, & similibus illi rei, de qua agit Orator, concessis, cogit aduersarium fateri rem ita esse, aut ita erubescere, vt se conuictum fateatur.

Exem-

Exemplum.

DIc mihi quæſo Xenophontis vxor. Si vicina tua melius habeat aurum, quàm tu habes, vtrùm illius, an tuum malis? Illius inquit.

Si veſtem illa, & cæterum ornamentum muliebre precij maioris habeat, quàm tu habeat, vtrùm tuum, an illius malis? Illius illa reſpondit.

Age verò, si illa meliorem virum habeat, quàm tu habeas, vtrùmne tuum, an illius malis? Tunc Aſpaſia erubuit, & ſe impudentiæ conuicta rubore confeſſa eſt.

Hac forma argumentandi maximè vtebantur Socrates, & omnes Socratici, qui ex eo, quod aduerſarij concedebant, rem ſuam approbare ſolebant.

Conſtat autem Inductio tribus partibus. Prima quod ex vna ſimilitudine ſiuè pluribns. Altera ex eo, concedi volumus. Tertia ex concluſione, quæ aut confirmat conceſſionem, aut quid ex ea conficiatur, oſtendit.

Inductio Bonciario eſt congeries multorum ſingularium ad probandum aliquid vniuersè, ſiuè communiter: vt Piſiſtratus Tyrannus infelicem exitum habuit, Item Phalaris, Dionyſius, Nero, Caligula, & alij plurimi. Ergo omnes Tyranni infelicem exitum metuere debent.

Verùm enimuerò hìc ex Cæſario ſciendum eſt, quod Inductio, quæ à Cicerone definitur, ea à Dialecticis apud Latinos exemplum appellatur, apud Græ-

Græcos παράδειγμα paradigma, Quo nomine, Quintilianus ait, & generaliter vsi sunt Scriptores artiũ in omnium similium oppositione, & specialiter in ijs, quę rerum gestarum autoritate nitũntur. Hinc illud est in Sacro Euangelio apud Ioannem, vbi Christum ille inducit de se loquentem ad discipulos suos, posteaquàm pedes illorũ lauisset, Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodùm ego feci, & vos faciatis. Sanè inter autores Latinos, qui huiuscemodi exempla memoriæ prodiderint, præcipuus habetur Valerius Maximus, idque planè ex professo.

De Exemplo.

EXemplum definiunt Soarius & Bonciarius Inductionem imperfectam, nempe in qua ex vno aut paucis singularibus aliquid vniuersè concluditur, vt Dion quia hieme nauigare voluit, naufragium fecit: ergo hieme nauigandum non est. & Sextus Pompeius impar viribus facilè oppressus est ab Augusto, item Lepidus, & Antonius: ergo cum potentioribus pugnandum non est. Hactenus Bonciarius.

Conimbricenses quæst. 2. art. 3. in lib. 1. Prior. Arist. Exemplum, inquiunt, est oratio, in qua aliquid singulare ex simili, aut similibus cõfirmatur, Hungariæ Regina, vocato in auxilium Turca regnum amisit; ergo Mediolanenses, vocato in auxilium Cæsare, ditionem amittent.

Toletus lib. 4. suæ dialectices cap. 18. dixerat priùs definiendo clariùs & distinctiùs: Exemplum est

est ab vno singulari ad alterum propter aliquam similitudinem illatio, vt Deus pepercit Niniuitis pœnitentibus, ergo & nobis parcet, si pœnitentiam agemus. Potest exemplum aliquando à duobus vel tribus singularibus sumi, semper tamen obseruanda est aliqua similitudo inter ea, in cuius virtute vnum singulare ex altero colligatur. Hucusque Toletus.

De Dilemmate.

Dilemma, quod Cicero Complexionem vocat, alij syllogismum cornutum, quia (vt inquit Bonciarius) argumentationis quasi cornua in eo disponuntur, vt qui alterum effugerit, in alterum incurrat, ideoque vtrinque ferit aduersarium: est argumentatio, in qua vtrumuis concesseris, reprehenditur. vt, Gabinium admonendum non censeo. Nam si bonus est, admonitione non habet opus, sin improbus, eam contemnet.

Aliud.

De futuris angi metu non debemus. Etenim si bona sunt, frustra metuimus, sin aduersa, infelicitatem duplicamus.

Aliud simile superiori ex Cicerone inducente patriam cum Catilina sic loquentem: Discede, atque hunc mihi timorem eripe: si verus, ne opprimar: sin falsus, vt tandem aliquando timere desinam.

Vitiosæ complexiones ex Macropedio sunt, in quibus aut vtraque pars, aut altera conuerti, & in aduersariũ retorqueri potest, vt: Accusandus omni-

nò non est? Nam si veretur, quid eum accusas, qui probus est? si non veretur, quid eum accusas, qui id parui æstimet? Hìc inuertitur vtraque pars. Prior, vt: Imò si veretur, maximè est accusandus, vt corrigatur. Posterior, vt: Si non veretur, hoc ipso est accusandus, quia improbus est. Aliud. Non est hic puer tradendus priuato præceptori. Nam si est literarum studiosus, non habet opus priuata institutione: Sin ocio est deditus, nihil proderit disciplina ignauo. Hìc inuertitur prior pars: Imò si studiosus est, plus proficiet, si priuatum præceptorem habuerit.

In quo inuersionis genere mirabilis extitit Aonius ille Palearius Verulanus, dum Marci Tullij Ciceronis pro L. Muraena orationem ita in eundem retorqueret Muraenam, vt qui sunt præstanti iudicio viri asserant (quemadmodùm in quadam epistola Coloniâ ad Carolum Laurenum scripsit Orgetorix Sphinter) si reuiuiscat M. Tullius, iturum eum in Aonij sententiam, si iudex detur, condemnaturum esse Muraenam. Qui obseruantissimi sunt puræ castæq. elocutionis aiunt, se non dubitare, si optimis illa temporibus, quibus lingua Latina floruit, sic scripta fuisset, futuram fuisse in honore, & precio. Laudant omnes dicendi genus seuerum & graue, numerum in cœlum tollunt, laudant suauitatem ingenij, quòd antiquum obtineat, hæc repræsentet mirificum ciuem Romanum, quòd Reip. timeat, quòd augeat periculum, quòd vereatur, ne absoluto Muraena

raena milites, qui posthac duces sequentur, incendant Imperatores prauis cupiditatibus, quòd omnibus vestigijs assequatur, & diuinet interitum libertatis: fingat tamen qui legit, se eo tempore esse, quo iudicium, illud fuit, quo maximè hæc dici vel potuerunt vel debuerunt. Hinc,

De Inuersione.

INuersio ex Bonciario est argumentatio in aduersarium retorta. vel,

Inuersio est argumentatio, in qua ex aduersariorum ratione non id quod ipsi volunt, sed quod vtile nobis est, sequi demonstramus. Ex Macropedio.

Constat autem Inuersio Propositione, Ratione, & Inuersione.

Exemplum.

P*Ropositio*. Non sunt legendi Poëtæ;
Ratio. Demulcent enim legentis animum & alliciunt:
Inuersio. Imò ob id ipsum sunt legendi, quia demulcent animum.

Eædem partes agnoscuntur in exemplo allato à Bonciario, licèt non explicatæ: vt,
Propositio. Falsò de me quereris,
Ratio. Quasi te oderim, quia verbero:
Inuersio. Odissem potiùs, si non verberarem, & te luxu corrumpi finerem.

De Sorite.

SOrites, latinè Ciceroni 2. de Diuin. vertitur acerualis, definitur à Bonciario coaceruatio

propositionum, quibus veluti gradibus ad conclusionem descenditur, Soriten vulgò vocant *de primo ad vltimum*: Græci captiosum & multiplex argumentandi genus, in quo ex vno concesso ad multas conclusiones annexas assurgunt. Exemplum ex Bonciario: Græcia vniuersa regebatur ab Atheniensibus, Athenienses à Themistocle, Themistocles ab Vxore, Vxor à filio; Ergo ab vno puero tota Græcia regebatur.

In quo Sorite prædicatum Primæ propositionis oportet fieri subiectum Secundæ, & ita deinceps, quousque perueniatur ad Conclusionem; in qua subiectum primæ iungi debet cum prædicato extremæ propositionis.

Sorites persimilis est Gradationi. Differuntque tantùm in hoc, quòd Sorites necessariò conclusionem habet: Gradatio verò caret illâ. Item Sorites est ad probandum, sed Gradatio ad ornandũ.

Cicero lib. 5. Tusc. quæst. probans, id solum esse bonum, quod honestum, sic argumentatur: Etenim quicquid est, quod bonũ sit, id expetendum est: quod autem expetendum, id certè approbandum: quod verò approbaris, id gratum acceptumque habendum: ergo etiam dignitas ei tribuenda est. Quod si ita est, laudabile sit, necesse est. Bonum igitur, omne laudabile, ex quo efficitur, vt, quod sit honestum, id sit solum bonum.

Zeno Stoicorum princeps & autor frequentioribus Soritis vtebatur. Sed maximè omniũ Chrisippus solitus erat per Soriten argumẽtari, & gradatim

datim interrogare. ex quo argumentatio fiebat numerosior, & aceruus quasi quidam gradatim cumulabatur propositionum & probationum: vt ita conclusio efficeretur ad probãdum quod moliebatur, vltra præscriptum argumentationis.

De Enumeratione.

ENumeratio est, in qua pluribus rebus sufficiẽter expositis & ceteris infirmatis, vna reliqua necessario confirmatur.

Constat autem Enumeratio Expositione, Infirmatione, Conclusione. Et interdum tantum Infirmatione, & Conclusione.

Fabius appellat Enumerationem, argumentum à remotione. Dialectici vocant argumentationem à sufficienti diuisione, siue à sufficienti partium enumeratione.

Exemplum Enumerationis constantis tribus partibus.

E*Xpositio*. Si illum ab hoc dicis occisum, cum sine causa nunquam suscipiatur maleficium, necesse est aut metu, aut odio, aut spe alicuius cõmodi aut amici alicuius gratiâ ab hoc esse occisũ.

Infirmatio. Sed neque odium, neque metum, neque spem intercessisse, neque ad amicũ aliquem mortem eius pertinere probare poteris.

Conclusio. Relinquitur ergo ab hoc non esse illum occisum.

Aliud ex Bonciario.

E*Xpositio*. Quod furtum domi meæ factum est, id oportet vel à te vel à Lucio, vel à Paullo esse

Contra, A minori dicitur argumentatio, cum persona siue res minor probationem præstat, maior concluditur. Cic. Mortem, quam etiam virgines Athenienses pro patria contempsisse dicuntur, ego vir consularis timerem? id est, contemnerem multò magis.

Denique A pari formatur argumētatio, quoties paria inter se conferuntur: vt, Licuit Catoni sequi bellū ciuile; Ergo licebit etiam Ciceroni. Si vxor viro fidem præstare debet; Ergo etiam vxori vir debet. Hactenus de Comparatione ad verbum, paucis omissis, Bonciarius.

DE GENERE DEMONSTRATIVO.

DEmonstratiuum genus ex eo nominatum est (vt vult Cornel. Valerius, quem sequitur M. Ant. Bonciarius) quòd quale sit aliquid demonstret, vel laudando, vel vituperando, vel narrando vel docendo. Vocant etiam Panegyricum, hoc tertium dicendi genus, vt Cic. in Orat. Sed quoniam plura sunt orationum genera, eaque diuersa, neque in vnam formam cadunt omnia, laudationum, scriptionum, & historiarum, & talium suasionum, qualem Isocrates fecit panegyricum. Hinc πανηγυρικοὶ λόγοι, id est panegyricæ orationes. Et absolutè Panegyricus, ci, g. m. dicitur sermo laudatiuus, demonstratiuus, popularis, plausibilis, splendidus. Panegyris enim huius panegyris pen. corr. f. g. id est nundinæ, publicus conuentus, ludi publici, vt sunt Olympici, nec non similes, vt inquit Interpr. Thucyd. quales quinto quoque

anno Athenis celebrari solitos scribit Herodot. lib. 6. Nam in huiusmodi conuentibus orationes habebãtur, idq. plerunque de vtilitatibus Greciæ.

Eius duæ sunt partes, Laus, & Vituperatio. Laus est oratio amplificatiua rerum bonarũ, quas certæ personæ orator inesse dicit. Vituperatio contrà oratio est amplificatiua rerum malarum, quas certæ personæ orator inesse dicit. Ideoque hoc Genus respicit tempus præsens; estque eius finis sola honestas.

Demonstratiuum genus est triplex. nam aut personæ laudantur, vt Cæsar. aut facta, vt Scæuolæ factum. aut res, vt Iustitia.

De Personarum laude.

TAle hìc debebit esse exordium, quale & in cęteris ferè, vt conciliet ac beneuolum faciat auditorem, vt attentum, vt docilem. Hoc enim efficere conamur in exordijs, vt amicè, vt intelligenter, vt attentè audiamur, sicut inquit in Partitionibus Cicero.

Beneuolentia petitur vel à personis, vel à rebus. in primis ab officio.

Attentos reddimus auditores, si significemus nos de rebus magnis, & necessarijs, & vtilibus dicturos.

Docilis reddimus auditores, si breuiter summam negocij velut oculis subijciamus, & cùm ordinem rerum dicendarum ostendamus, tùm in partes orationem diducamus. De quibus etiam supra.

In Genere Demonstratiuo sumuntur prooemia, à persona nostra, ab eius, de quo dicturi erimus, ab eorum, qui audient, & à re ipsa.

Exordia in hoc genere liberiora sunt, quàm in Deliberatiuo, & Iudiciali: sæpè autem ab aliquo ducuntur affectu, velut à querela, gratulatione: item à studio & officio, à rei magnitudine, à virium nostrarum extenuatione; per quæ beneuolos, attentos, dociles facimus Auditores. Bonciarius.

Cauendum, ne Exordia sint vitiosa, & maximè ne longiùs petantur, aut nimis prolixa sint.

Narratio, qua personæ hic laudantur, est historica commemoratio totius vitæ, vbi perpetuam rerum seriem in dicendo sequimur.

Loci personarum sunt, Natales, pueritia, vbi de ingenio, & educatione, & disciplina dicitur. Adolescentia, vbi studia considerantur. Iuuentus & senectus, vbi res publicè aut priuatim gestæ. Mors, & opinio post mortem. Breuiter in laude personarum ostendendum est, quemadmodùm quisquam generatur, quomodo & à quibus educatus, quos habuerit artiū liberalium magistros, & quos viuendi præceptores: quibus studijs iam inde à prima ętate fuerit deditus: quid aut sapienter, aut iustè, aut fortiter, aut magnificè senserit, dixerit, gesserit. Hunc ordinem seruat Æmilius Probus describens vitam Epaminondæ. Si quid insignius occurrerit, id amplificandum, & proponendum est ad imitandum, quod ipsum quoque

 præ-

præſtitit idem Æmilius agens de abſtinentia Epaminondæ.

Hic etiam de tribus bonis ſcilicet externis, corporis, & animi meminerimus.

Externa bona ſunt Genus, diuitiæ, nobilitas, opes, honores, autoritas, amicitiæ, liberi, propinqui, affines, & alia id genus.

Corporis bona, Forma, ſpecies, & ſtatura apposita ad dignitatem, robur, vires, bona valetudo, celeritas, agilitas membrorum, oculi venuſti, flaui capilli, color ſuauis.

Animi bona, Ingenium, memoria, doctrina, & eruditio, probitas, integritas, pietas. Virtutes, velut prudentia, iuſtitia, fortitudo, temperantia. Item comitas, humanitas, benignitas, affabilitas, clementia, ciuilitas morum, & ſimilia.

Ab illis bonis, preter ea, id eſt, animi, quæ ſua cuiuſque propria ſunt, perinde quiſque, vt ijs fuerit vſus, ita aut laudari aut vituperari meretur. Hinc Cicero: Genus, inquit, forma, vires, opes, diuitiæ, cæteraque, quæ fortuna det, aut extrinſecus, aut corpori, non habent in ſe veram laudem, quæ deberi virtuti vni putatur. Sed tamen quòd ipſa virtus in earum rerum vſu ac moderatione maximè cernitur, tractanda etiam in laudationibus hæc ſunt naturæ & fortunæ bona. In quibus eſt ſumma laus non extuliſſe ſe in poteſtate, non fuiſſe inſolentem in pecunia, non ſe prętuliſſe alijs propter abundantiam fortunæ: vt opes & copiæ non ſuperbiæ videantur, ac libidini, ſed bonitati,

ac

ac moderationi facultatem ac materiem dedisse.

Hìc nulla confirmatio est, quia non agitur de dubijs rebus. Tametsi incidunt interdum loci, vbi confirmatione & confutatione sit opus. vt, si quis laudet C. Cæsarem, excusabis eum, quòd bellum aduersus patriam mouerit.

In aliquo vituperando eadem ferè ratio est artificij locorumque, sed in diuersum commutata. Recenseri enim debent Natales obscuri, educatio mala, adolescentia luxu perdita, iuuentus omnibus flagitijs contaminata, senectus libidinosa, mors tali vitâ digna. De fortunæ bonis, quòd his malè sit vsus.

De Laude facti.

IN Laudatione facti exordimur similiter, ac paulò antè diximus. Narratione integra non sæpe vtimur, nisi sicubi dicendum apud eos foret, qui non prorsus tenerent historiam facti.

Loco Narrationis ponitur Propositio, qua summam rei breuiter complectimur.

Loci Confirmationis sunt, Honestum, vtile, facile aut difficile. nam hos locos mutuamur è genere deliberatiuo. Perinde enim vt facienda suademus; ita facta laudamus. Honestum à rei natura petes, cætera ferè à circunstantijs.

Rarò est hìc Confutatio, quia non laudantur ambigua, sed certa. Sunt autem loci Confutationis, si qua fortè inciderit, contrarij locis Confirmationis.

Peroratio cõstat breui enumeratione, & affectu.

Enu-

Enumeratio est breuis eorum, quæ tota oratione sparsim dicta sunt, repetitio.

Affectus est vehementior animi commotio: vt, misericordia, indignatio, ira, inuidia, timor, spes, gaudium, dolor.

De Demonstratione rerum.

IN demonstratione rerũ potissimùm exordiendum est ab aliqua singulari laude illius rei, de qua es dicturus.

Si quis velit rem turpem laudare, tunc insinuatione anteuertendi sunt animi auditorum, & principio orationis excusanda turpitudo, quæ in causa videtur esse.

Neque aliqua in hoc genere narratio solet esse, nisi priuatarum actionum, quæ occurrunt inter laudandum (inquit Bonciarius) sed propositio, siuè partitio ponitur narrationis vice. Exemplum habemus in historiæ laude apud Angelum Politianum: Inter omne scriptorum genus, quibus vel Græcæ vel Romanæ literæ floruerunt, ij mihi haud dubiè de humanis rebus egregiè meriti esse videntur, per quos aut excellentium populorum, aut summorum principum, aut omninò illustriũ virorũ res gestæ fidelibus historiarum monumentis commendatæ sunt.

Confirmationis (quæ veluti perpetua quędam Narratio est) loci hic sunt ijdem, qui supra; Honestum, vtile, facile aut difficile. Honestas ab inuentoribus petitur, vtilitas à fine. Iam interdum

facultas, interdum difficultas laudanda erit, idque prout res ipsa popoſcerit.

Genus Demonſtratiuum reſpicit tempus præſens.

Preterea notandum eſt, quòd Orator poteſt ſeparatim vti genere Demonſtratiuo, & frequentiſſimè vnà cum genere Deliberatiuo, vt Cicero pro lege Manilia laudat Pompeium, vt perſuadeat, cum vnicum Imperatorem deligendum eſſe. Et vnà cum genere Iudiciali, vt idem Cicero pro Milone laudat ipſum Milonem, contra vituperat Clodium, vt oſtendat & cõfirmet, ipſum Clodium iure cæſum fuiſſe à Milone.

Dictio ſeù figura dicendi in genere demonſtratiuo libera eſt, virtutem prædicans & exornans.

DE GENERE DELIBERATIVO.

IN Genere Deliberatiuo, quo ſuademus aut diſſuademus, hortamur aut dehortamur, exordiendum eſt ab officio perſonæ, à neceſſitate vel vtilitate rei, à periculi magnitudine, & ſimilibus. Cuiuſque generis finis eſt vtilitas cum honeſtate coniuncta.

Si qua fuerit hic narratio, eam ſequi debet Propoſitio. nam hæc quidem non poteſt vlla in cauſa omitti. Neque verò ſimpliciter proponendum, ſed cum amplificatione quadam, ſi res ita poſtularit.

Confirmationis loci in hoc genere ſunt, Honeſtum, vtile, facile, iucundum, tutum.

Honeſtas complectitur Virtutes, prudentiam, iuſti-

iustitiam, pietatem, liberalitatem, clementiam, fortitudinem, temperantiam, & reliquas.

Vtilitas consistit in retentione aut adeptione alicuius commodi, & in euitatione aut motione incommodi. Sunt enim vtilia, quæ non propter se, sed propter fructum aliquem, & ob cõmodum expetuntur.

Facultas consistit in viribus ingenij, corporis, & externorum, qualia sunt amici, diuitiæ, potentia, dignitas, gratia, autoritas, & hoc genus alia.

Tutum est, quod est metu periculoque vacuum, & nec commodis alicuius, nec saluti atque incolumitati officit.

Iucundum est, quod voluptatem & delectationem aut animi, aut corporis, aut vtriusque affert.

Nonnulli addunt necessarium locis generis deliberatiui, sed Fabius ad vtilitatem refert.

Confutatio à contrarijs locis petenda est.

Peroratio enumeratione & affectu constat.

Qui vult dissuadere, ostendet primò esse turpe, impium, minimeque Christianum. Deinde perniciosum, taleque damnum allaturum, cui nullis rationibus obsisti possit. Tertiò difficile, infinitis laboribus & sudoribus plenum, incertũque præterea ad optatum finem adduci queat. Quartò molestum, & non citra tædium longissimo temporis spatio huic rei insudandum atque immorãdum. Quintò periculis vndique plenum.

Est exemplum generis Deliberatiui apud Cic. Philippicâ 7. vbi pax cum Antonio dissuadetur.

Deli-

Deliberatio quandoque est de duobus, vt si deliberetur, vtrùm Carthago tollenda sit, an relinquenda: Quandoque de pluribus, vt si deliberet Annibal, quid potissimùm faciat, cùm reuocetur à Carthaginiensibus, an in Italia remaneat, an in patriam redeat, an in Ægyptum profectus occupet Alexandriam.

Sunt etiam deliberationes, aliæ propter se tantùm, aliæ propter rem extraneam, & aliæ partim propter se, partim propter rem extraneam.

Consultatio propter se est, quando consideratur aliquid propter rei ipsius qualitatem & naturam, nullius rei, quæ extra sit, habitâ ratione, vt si Senatus Romanus deliberet, an captiuos post prælium Cannense ab hostibus redimat. In hoc enim Senatus tantùmodò spectauit, honestumne sit, eos, qui ignaui fuissent, redimi.

Consultatio propter rem extraneam est, quando consultatur, an aliquid fiat propter aliquam causam, quæ extrinsecus veniat, vt si Senatus deliberet, Secundo bello Punico, soluatne legibus Scipionem, vt liceat, eum ante tempus consulem fieri. Hæc enim consultatio non erat, Soluendusne esset legibus, an non? Sed an deligendus esset, cum alij recusarent eò proficisci, & vt amicis Hispaniæ populis subueniretur.

Consultatio partim propter se, partim propter rem extraneam est, quando consultatur, vtrum id per se iustum & honestum sit, & assumitur aliqua causa extranea, vt si deliberet Senatus bello

So-

Sociali, Socijs Ciuitatem det, an non? Hæc enim consultatio est partim propter se, partim propter rem extraneam, ne bellum ab ijs, qui læsos se putarent Populo Romano inferatur.

Procemium in causis deliberatiuis debet esse modestum, & breuissimum, eo quòd res ipsa, de qua agitur & consultatur, satis facit auditores attentos, vt tradit Cicero in Partitionibus. Nam neque arrogans (inquit Bonciarius) neque abrupta placere potest Deliberatio. Sumitur autem Exordium maxime ab officio personæ, vt Orator dicat, se nullo odio, studio, & affectu, sed caritate, officio, & alia quapiam honesta ratione accedere tam ad suadendũ quàm etiam ad dissuadendum. Maximè autem probantur exordia, quæ vel ab aliqua insigni vtilitate, vel ab vrgenti necessitate ducta sunt, qualem frequẽter legimus in Historijs.

Narrationem priuata deliberatio non admodũ requirit, sed conciones postulant: habet enim satis cognitam suam causam is, cui consilium de priuatis negotijs damus. Tum verò narramus, cum gestũ aliquid erit, ex quo nostra deliberatio nascitur, vt pro lege Manilia narrat Cicero, Bellum geri cum potentissimis Regibus: vndè nascebatur consultatio de Imperatore deligendo. Occurret etiam Narratio ferè semper in publicis deliberationibus, præsertim paullò grauioribus, cùm tunc docere oporteat multitudinem siuè populum.

Propositione, quæ nunquam planè omitti potest, vtimur Narrationis vice per amplificationem

vt

vt pacem ſuaſuri, paucis proponemus, nos de pace humanę ſocietatis conſeruatrice conſilium daturos prodijſſe, &c.

Partitio rerum ordinem, de quibus dicturi ſumus, oſtendit.

Confirmatio circa potiſſimùm ſex locos in ſuadendo verſatur, ſcilicet Honeſtum, Vtile, Iucundum, Poſſibile, Facile, Neceſſarium: In diſſuadendo verò circa his contrarios, ideſt, Inhoneſtum, Inutile, Iniucundum, Impoſſibile, Difficile, non Neceſſarium. Id quod facile videre eſt tum in orationibus Ciceronis, tum in concionibus Liuij. Sed quid horũ locorum vnuſquiſquè valeat, prẹterquàm quòd facile eſt cognoſcere, & ex dictis in his collectaneis ſcire, videre etiam poteſt apud Bonciarium.

Confutatio diluit quicquid ab aduerſario poſſit obijci.

Peroratione colligit Orator, quæ firmiſſima ſunt, hortatur, & affectus mouet. His igitur partibus tractatur genus deliberatiuũ, in quo dictio ſeù figura dicendi grauis & prudens eſt. Reſpicitq́ idem genus tempus futurum.

DE GENERE IVDICIALI.

IVdiciale genus eſt, quo controuerſiæ ac lites continentur. Cuius finis eſt æquitas.

Hoc genus ijs orationis partibus conſtat, quibus omnis perfecta oratio.

In exordio beneuolentiã ducimus aut à noſtro officio, aut ab eius, pro quo dicimus commiſera-

tione, aut ab aduersarij, qui periculum innocenti facessat, inuidiâ, aut à iudicis persona.

Attentio magnitudinem caussæ commemorat.

Docilitas perspicuitatem & breuitatem pollicetur, ac summam caussæ indicat.

In hoc genere varij sunt status, quos supra posuimus.

Narratio est facti expositio. Narrabit accusator sparsis in narrationem multis suspicionibus, quæ causam adiuuare videantur.

Omnis narratio (ex qua certa sententia, quam probaturus es, colligenda est) in vniuersum debet esse probabilis, aperta, & suauis.

Ex narratione quæstio, seù status, seù propositio ducitur, quæ caussæ commemorationi statim succedit, quod confirmationis omnis caput.

Accusatoris Confirmatio ab his locis, voluntate, & potestate maximè petitur, quia suspicionem probant, & arguunt hæc duo, voluisse lædere, & potuisse. Et res pro facto habetur, si & voluntas eidem & facultas adsint. quæ duo dialecticè dicuntur à Fine, & Efficiente; quòd si horum alterutrum desit, nihil fieri posse constat.

Voluntatis loci sunt duo, qualitas personæ, idest habitus quidam, & frequens alicuius in rem aliquam studium, vt non iniuriâ existimetur hoc voluisse patrasse: & Causa inducens ad suscipiendum facinus.

Causæ inducentis duo sunt loci, Impulsio, & Ratiocinatio.

Impulsio est affectio quædam animi, seù repentinus aliquis motus atque impetus, ægritudo, vinolentia, iniuriæ dolor, vlciscendi studium, & similia, in quibus animus ita videatur affectus fuisse, vt rem perspicere cum consilio & curâ non potuerit, & id quod fecit, impetu quodam animi potiùs, quàm cogitatione fecerit.

Ratiocinatio est, quæ à spe commodorum ducitur, & vbi vtilitas ex adeptione alicuius commodi spectatur, aut deuitatione incommodi: vt, si probemus, profuturum Clodio fuisse Milonis interitum, quemadmodùm Cicero in Miloniana: ex quo probabile fit, Clodium insidias posuisse. Contrà defensor negabit fuisse causam, si poterit: sin minus, eam vehementer extenuabit.

Potestas seù facultas constat signis, & circunstantijs.

Signum est dictum aut factum antecedens vel consequens, vel cum re cohærens, & adiunctum: cùm quis alicubi aliquid ante vel dixerit vel fecerit, vndè coniectura sumatur, illum hoc, de quo est controuersia, patrasse. Signa vel maximè suspicionem mouent, & quasi tacita sunt criminum testimonia. vt telum, vt cruor, vt deprehensum aliquod quod ablatum ereptumue videatur, vt responsum inconstanter, vt hæsitatum, vt titubatum, vt pallor, vt tremor, & similia quæ aut in re ipsa, aut etiam antequàm factum est, aut postea, suspiciosum crimen efficiant: vt Cicero inquit:

propositionum, quibus veluti gradibus ad conclusionem descenditur, Soriten vulgò vocant *de primo ad vltimum*: Græci captiosum & multiplex argumentandi genus, in quo ex vno concesso ad multas conclusiones annexas assurgunt. Exemplum ex Bonciario: Græcia vniuersa regebatur ab Atheniensibus, Athenienses à Themistocle, Themistocles ab Vxore, Vxor â filio; Ergo ab vno puero tota Græcia regebatur.

In quo Sorite prædicatum Primæ propositionis oportet fieri subiectum Secundæ, & ita deinceps, quousque perueniatur ad Conclusionem, in qua subiectum primæ iungi debet cum prædicato extremæ propositionis.

Sorites persimilis est Gradationi. Differuntque tantùm in hoc, quòd Sorites necessariò conclusionem habet: Gradatio verò caret illâ. Item Sorites est ad probandum, sed Gradatio ad ornandũ.

Cicero lib. 5. Tusc. quæst. probans, id solum esse bonum, quod honestum, sic argumentatur: Etenim quicquid est, quod bonũ sit, id expetendum est: quod autem expetendum, id certè approbandum: quod verò approbaris, id gratum acceptumque habendum: ergo etiam dignitas ei tribuenda est. Quod si ita est, laudabile sit, necesse est. Bonum igitur, omne laudabile, ex quo efficitur, vt, quod sit honestum, id sit solum bonum.

Zeno Stoicorum princeps & autor frequentioribus Soritis vtebatur. Sed maximè omniũ Chrisippus solitus erat per Soriten argumẽtari, & gra-

datim

datim interrogare: ex quo argumentatio fiebat numerosior, & aceruus quasi quidam gradatim cumulabatur propositionum & probationum: vt ita conclusio efficeretur ad probādum quod moliebatur, vltra præscriptum argumentationis.

De Enumeratione.

ENumeratio est, in qua pluribus rebus sufficiēter expositis & ceteris infirmatis, vna reliqua necessariò confirmatur.

Constat autem Enumeratio Expositione, Infirmatione, Conclusione. Et interdum tantùm Infirmatione, & Conclusione.

Fabius appellat Enumerationem, argumentum à remotione. Dialectici vocant argumentationem à sufficienti diuisione, siue à sufficienti partium enumeratione.

Exemplum Enumerationis constantis tribus partibus.

EXpositio. Si illum ab hoc dicis occisum, cùm sine causa nunquam suscipiatur maleficium, necesse est aut metu, aut odio, aut spe alicuius cōmodi aut amici alicuius gratiâ ab hoc esse occisū.

Infirmatio. Sed neque odium, neque metum, neque spem intercessisse, neque ad amicū aliquem mortem eius pertinere probare poteris.

Conclusio. Relinquitur ergo ab hoc non esse illum occisum.

Aliud ex Bonciario.

EXpositio. Quod Furtum domi meæ factum est, id oportet vel à te vel à Lucio, vel à Paullo esse

Contra, A minori dicitur argumentatio, cum persona siuè res minor probationem præstat, maior concluditur. Cic. Mortem, quam etiam virgines Athenienses pro patria contempsisse dicuntur, ego vir consularis timerem? id est, contemnerem multò magis.

Denique A pari formatur argumētatio, quoties paria inter se conferuntur: vt, Licuit Catoni sequi bellū ciuile; Ergo licebit etiam Ciceroni. Si vxor viro fidem præstare debet; Ergo etiam vxori vir debet. Hactenus de Comparatione ad verbum, paucis omissis, Bonciarius.

DE GENERE DEMONSTRATIVO.

DEmonstratiuum genus ex eo nominatum est (vt vult Cornel. Valerius, quem sequitur M. Ant. Bonciarius) quòd quale sit aliquid demonstret, vel laudando, vel vituperando, vel narrando vel docendo. Vocant etiam Panegyricum, hoc tertium dicendi genus, vt Cic. in Orat. Sed quoniam plura sunt orationum genera, eaque diuersa, neque in vnam formam cadunt omnia, laudationum, scriptionum, & historiarum, & talium suasionum, qualem Isocrates fecit panegyricum. Hinc πανηγυρικοὶ λόγοι, id est panegyricæ orationes. Et absolutè Panegyricus, ci, g. m. dicitur sermo laudatiuus, demonstratiuus, popularis, plausibilis, splendidus. Panegyris enim huius panegyris pen. corr. f. g. id est nundinæ, publicus conuentus, ludi publici, vt sunt Olympici, nec non similes, vt inquit Interpr. Thucyd. quales quinto quoque

anno Athenis celebrari solitos scribit Herodot. lib. 6. Nam in huiusmodi conuentibus orationes habebãtur, idq. plerunque de vtilitatibus Greciæ.

Eius duæ sunt partes, Laus, & Vituperatio. Laus est oratio amplificatiua rerum bonarũ, quas certæ personæ orator inesse dicit. Vituperatio contrà oratio est amplificatiua rerum malarum, quas certæ personæ orator inesse dicit. Ideoque hoc Genus respicit tempus præsens; estque eius finis sola honestas.

Demonstratiuum genus est triplex. nam aut personæ laudantur, vt Cæsar. aut facta, vt Scæuolæ factum. aut res, vt Iustitia.

De Personarum laude.

TAle hìc debebit esse exordium, quale & in cęteris ferè, vt conciliet ac beneuolum faciat auditorem, vt attentum, vt docilem. Hoc enim efficere conamur in exordijs, vt amicè, vt intelligenter, vt attentè audiamur, sicut inquit in Partitionibus Cicero.

Beneuolentia petitur vel à personis, vel à rebus. in primis ab officio.

Attentos reddimus auditores; si significemus nos de rebus magnis, & necessarijs, & vtilibus dicturos.

Docilis reddimus auditores, si breuiter summam negocij velut oculis subijciamus, & cùm ordinem rerum dicendarum ostendamus, tùm in partes orationem diducamus. De quibus etiam supra.

In Genere Demonſtratiuo ſumuntur procœmia, à perſona noſtra, ab eius, de quo dicturi erimus, ab eorum, qui audient, & à re ipſa.

Exordia in hoc genere liberiora ſunt, quàm in Deliberatiuo, & Iudiciali: ſæpè autem ab aliquo ducuntur affectu, velut à querela, gratulatione; item à ſtudio & officio, à rei magnitudine, à virium noſtrarum extenuatione; per quæ beneuolos, attentos, dociles facimus Auditores. Bonciarius.

Cauendum, ne Exordia ſint vitioſa, & maximè ne longiùs petantur, aut nimis prolixa ſint.

Narratio, qua perſonæ hic laudantur, eſt hiſtorica commemoratio totius vitæ, vbi perpetuam rerum ſeriem in dicendo ſequimur.

Loci perſonarum ſunt, Natales, pueritia, vbi de ingenio, & educatione, & diſciplina dicitur. Adoleſcentia, vbi ſtudia conſiderantur. Iuuentus & ſenectus, vbi res publicè aut priuatim geſtæ. Mors, & opinio poſt mortem. Breuiter in laude perſonarum oſtendendum eſt, quemadmodùm quiſquam generatur, quomodo & à quibus educatus, quos habuerit artiū liberalium magiſtros, & quos viuendi præceptores: quibus ſtudijs iam inde à prima ętate fuerit deditus: quid aut ſapienter, aut iuſtè, aut fortiter, aut magnificè ſenſerit, dixerit, geſſerit. Hunc ordinem ſeruat Æmilius Probus deſcribens vitam Epaminondæ. Si quid inſignius occurrerit, id amplificandum, & proponendum eſt ad imitandum, quod ipſum quoque

 præ-

præstitit idem Æmilius agens de abstinentia Epaminondæ.

Hic etiam de tribus bonis scilicet externis, corporis, & animi meminerimus.

Externa bona sunt Genus, diuitiæ, nobilitas, opes, honores, autoritas, amicitiæ, liberi, propinqui, affines, & alia id genus.

Corporis bona, Forma, species, & statura apposita ad dignitatem, robur, vires, bona valetudo, celeritas, agilitas membrorum, oculi venusti, flaui capilli, color suauis.

Animi bona, Ingenium, memoria, doctrina, & eruditio, probitas, integritas, pietas. Virtutes, velut prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia. Item comitas, humanitas, benignitas, affabilitas, clementia, ciuilitas morum, & similia.

Ab illis bonis, preter ea, id est, animi, quæ sua cuiusque propria sunt, perinde quisque, vt ijs fuerit vsus, ita aut laudari aut vituperari meretur. Hinc Cicero: Genus, inquit, forma, vires, opes, diuitiæ, cæteraque, quæ fortuna det, aut extrinsecus, aut corpori, non habent in se veram laudem, quæ deberi virtuti vni putatur. Sed tamen quòd ipsa virtus in earum rerum vsu ac moderatione maximè cernitur, tractanda etiam in laudationibus hæc sunt naturæ & fortunæ bona. In quibus est summa laus non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia, non se prætulisse alijs propter abundantiam fortunæ: vt opes & copiæ non superbiæ videantur, ac libidini, sed bonitati,

ac

ac moderationi facultatem ac materiem dedisse.

Hìc nulla confirmatio est, quia non agitur de dubijs rebus. Tametsi incidunt interdum loci, vbi confirmatione & confutatione sit opus. vt, si quis laudet C. Cæsarem, excusabis eum, quòd bellum aduersus patriam mouerit.

In aliquo vituperando eadem ferè ratio est artificij locorumque, sed in diuersum commutata. Recenseri enim debent Natales obscuri, educatio mala, adolescentia luxu perdita, iuuentus omnibus flagitijs contaminata, senectus libidinosa, mors tali vitâ digna. De fortunæ bonis, quòd his malè sit vsus.

De Laude facti.

IN Laudatione facti exordimur similiter, ac paulò antè diximus. Narratione integra non sæpe vtimur, nisi sicubi dicendum apud eos foret, qui non prorsus tenerent historiam facti.

Loco Narrationis ponitur Propositio, qua summam rei breuiter complectimur.

Loci Confirmationis sunt, Honestum, vtile, facile aut difficile. nam hos locos mutuamur è genere deliberatiuo. Perinde enim vt facienda suademus, ita facta laudamus. Honestum à rei natura petes, cætera ferè à circunstantijs.

Raro est hìc Confutatio, quia non laudantur ambigua, sed certa. Sunt autem loci Confutationis, si qua forte inciderit, contrarij locis Confirmationis.

Peroratio cõstat breui enumeratione, & affectu.

Enu-

facultas, interdum difficultas laudanda erit, idque prout res ipsa poposcerit.

Genus Demonstratiuum respicit tempus præsens.

Preterea notandum est, quòd Orator potest separatim vti genere Demonstratiuo, & frequentissimè vnà cum genere Deliberatiuo, vt Cicero pro lege Manilia laudat Pompeium, vt persuadeat, eum vnicum Imperatorem deligendum esse. Et vnà cum genere Iudiciali, vt idem Cicero pro Milone laudat ipsum Milonem, contra vituperat Clodium, vt ostendat & cõfirmet, ipsum Clodium iure cæsum fuisse à Milone.

Dictio seù figura dicendi in genere demonstratiuo libera est, virtutem prædicans & exornans.

DE GENERE DELIBERATIVO.

IN Genere Deliberatiuo, quo suademus aut dissuademus, hortamur aut dehortamur, exordiendum est ab officio personæ, à necessitate vel vtilitate rei, à periculi magnitudine, & similibus. Cuiusque generis finis est vtilitas cum honestate coniuncta.

Si qua fuerit hic narratio, eam sequi debet Propositio. nam hæc quidem non potest vlla in causa omitti. Neque verò simpliciter proponendum, sed cum amplificatione quadam, si res ita postularit.

Confirmationis loci in hoc genere sunt, Honestum, vtile, facile, iucundum, tutum.

Honestas complectitur Virtutes, prudentiam, iusti-

iustitiam, pietatem, liberalitatem, clementiam, fortitudinem, temperantiam, & reliquas.

Vtilitas consistit in retentione aut adeptione alicuius commodi, & in euitatione aut motione incommodi. Sunt enim vtilia, quæ non propter se, sed propter fructum aliquem, & ob cõmodũm expetuntur.

Facultas consistit in viribus ingenij, corporis, & externorum, qualia sunt amici, diuitiæ, potentia, dignitas, gratia, autoritas, & hoc genus alia.

Tutum est, quod est metu periculoque vacuum, & nec commodis alicuius, nec saluti atque incolumitati officit.

Iucundum est, quod voluptatem & delectationem aut animi, aut corporis, aut vtriusque affert.

Nonnulli addunt necessarium locis generis deliberatiui, sed Fabius ad vtilitatem refert.

Confutatio à contrarijs locis petenda est.

Peroratio enumeratione & affectu constat.

Qui vult dissuadere, ostendet primò esse turpe, impium, minimèque Christianum. Deinde perniciosum, taleque damnum allaturum, cui nullis rationibus obsisti possit. Tertiò difficile, infinitis laboribus & sudoribus plenum, incertũque præterea ad optatum finem adduci queat. Quartò molestum, & non citra tædium longissimo temporis spatio huic rei insudandum atque immorãdum, Quintò periculis vndique plenum.

Est exemplum generis Deliberatiui apud Cic. Philippicâ 7. vbi pax cum Antonio dissuadetur.

Deli-

Deliberatio quandoque est de duobus, vt si deliberetur, vtrùm Carthago tollenda sit, an relinquenda: Quandoque de pluribus, vt si deliberet Annibal, quid potissimùm faciat, cùm reuocetur à Carthaginiensibus, an in Italia remaneat, an in patriam redeat, an in Ægyptum profectus occupet Alexandriam.

Sunt etiam deliberationes, aliæ propter se tantùm, aliæ propter rem extraneam, & aliæ partim propter se, partim propter rem extraneam.

Consultatio propter se est, quando consideratur aliquid propter rei ipsius qualitatem & naturam, nullius rei, quæ extra sit, habitâ ratione, vt si Senatus Romanus deliberet, an captiuos post prælium Cannense ab hostibus redimat. In hoc enim Senatus tantùmmodò spectauit, honestumne sit, eos, qui ignaui fuissent, redimi.

Consultatio propter rem extraneam est, quando consultatur, an aliquid fiat propter aliquam causam, quæ extrinsecus veniat, vt si Senatus deliberet, Secundo bello Punico, soluatne legibus Scipionem, vt liceat, eum ante tempus consulem fieri. Hæc enim consultatio non erat, Soluendusne esset legibus, an non? Sed an deligendus esset, cum alij recusarent eò proficisci, & vt amicis Hispaniæ populis subueniretur.

Consultatio partim propter se, partim propter rem extraneam est, quando consultatur, vtrum id per se iustum & honestum sit, & assumitur aliqua causa extranea, vt si deliberet Senatus bello

So-

Sociali, Socijs Ciuitatem det, an non? Hæc enim consultatio est partim propter se, partim propter rem extraneam, ne bellum ab ijs, qui læsos se putarent Populo Romano inferatur.

Procemium in causis deliberatiuis debet esse modestum, & breuissimum, eo quòd res ipsa, de qua agitur & consultatur, satis facit auditores attentos, vt tradit Cicero in Partitionibus. Nam neque arrogans (inquit Bonciarius) neque abrupta placere potest Deliberatio. Sumitur autem Exordium maxime ab officio personæ, vt Orator dicat, se nullo odio, studio, & affectu, sed caritate, officio, & alia quapiam honesta ratione accedere tam ad suadendũ quàm etiam ad dissuadendum. Maximè autem probantur exordia, quæ vel ab aliqua insigni vtilitate, vel ab vrgenti necessitate ducta sunt, qualem frequẽter legimus in Historijs.

Narrationem priuata deliberatio non admodũ requirit; sed conciones postulant: habet enim satis cognitam suam causam is, cui consilium de priuatis negotijs damus. Tum verò narramus, cum gestũ aliquid erit, ex quo nostra deliberatio nascitur, vt pro lege Manilia narrat Cicero, Bellum geri cum potentissimis Regibus: vndè nascebatur consultatio de Imperatore deligendo. Occurret etiam Narratio ferè semper in publicis deliberationibus, præsertim paullò grauioribus, cùm tunc docere oporteat multitudinem siuè populum.

Propositione, quæ nunquàm planè omitti potest, vtimur Narrationis vice per amplificationem

vt

vt pacem suasuri, paucis proponemus, nos de pace humanę societatis conseruatrice consilium daturos prodijsse, &c.

Partitio rerum ordinem, de quibus dicturi sumus, ostendit.

Confirmatio circa potissimùm sex locos in suadendo versatur, scilicet Honestum, Vtile, Iucundum, Possibile, Facile, Necessarium: In dissuadendo verò circa his contrarios, idest, Inhonestum, Inutile, Iniucundum, Impossibile, Difficile, non Necessarium. Id quod facile videre est tum in orationibus Ciceronis, tum in concionibus Liuij. Sed quid horũ locorum vnusquisquè valeat, prę-terquàm quòd facile est cognoscere, & ex dictis in his collectaneis scire, videre etiam potest apud Bonciarium.

Confutatio diluit quicquid ab aduersario possit obijci.

Peroratione colligit Orator, quæ firmissima sunt, hortatur, & affectus mouet. His igitur partibus tractatur genus deliberatiuũ, in quo dictio seù figura dicendi grauis & prudens est. Respicitq. idem genus tempus futurum.

DE GENERE IVDICIALI.

IVdiciale genus est, quo controuersiæ ac lites continentur. Cuius finis est æquitas.

Hoc genus ijs orationis partibus constat, quibus omnis perfecta oratio.

In exordio beneuolentiã ducimus aut à nostro officio, aut ab eius, pro quo dicimus commisera-

tione, aut ab aduerſarij, qui periculum innocenti faceſſat, inuidiâ, aut à iudicis perſona.

Attentio magnitudinem cauſſæ commemorat. Docilitas perſpicuitatem & breuitatem pollicetur, ac ſummam cauſſæ indicat.

In hoc genere varij ſunt ſtatus, quos ſupra poſuimus.

Narratio eſt facti expoſitio. Narrabit accuſator ſparſis in narrationem multis ſuſpicionibus, quæ cauſam adiuuare videantur.

Omnis narratio (ex qua certa ſententia, quam probaturus es, colligenda eſt) in vniuerſum debet eſſe probabilis, aperta, & ſuauis.

Ex narratiône quæſtio, ſeù ſtatus, ſeù propoſitio ducitur, quæ cauſſæ commemorationi ſtatim ſuccedit, quod confirmationis omnis caput.

Accuſatoris Confirmatio ab his locis, voluntate, & poteſtate maximè petitur, quia ſuſpicionem probant, & arguunt hæc duo, voluiſſe lædere, & potuiſſe. Et res pro facto habetur, ſi & voluntas eidem & facultas adſint. quæ duo dialecticè dicuntur à Fine, & Efficiente; quòd ſi horum alterutrum deſit, nihil fieri poſſe conſtat.

Voluntatis loci ſunt duo, qualitas perſonæ, ideſt habitus quidam, & frequens alicuius in rem aliquam ſtudium, vt non iniuriâ exiſtimetur hoc voluiſſe patraſſe: & Cauſa inducens ad ſuſcipiendum facinus.

Cauſæ inducentis duo ſunt loci, Impulſio, & Ratiocinatio.

Im-

Impulſio eſt affectio quædam animi, ſeù repentinus aliquis motus atque impetus, ægritudo, vinolentia, iniuriæ dolor, vlciſcendi ſtudium, & ſimilia, in quibus animus ita videatur affectus fuiſſe, vt rem perſpicere cum conſilio & curâ non potuerit, & id quod fecit, impetu quodam animi potiùs, quàm cogitatione fecerit.

Ratiocinatio eſt, quæ à ſpe commodorum ducitur, & vbi vtilitas ex adeptione alicuius commodi ſpectatur, aut deuitatione incommodi. vt, ſi probemus, profuturum Clodio fuiſſe Milonis interitum, quemadmodùm Cicero in Miloniana: ex quo probabile fit, Clodium inſidias poſuiſſe. Contrà defenſor negabit fuiſſe cauſam, ſi poterit: ſin minus, eam vehementer extenuabit.

Poteſtas ſeù facultas conſtat ſignis, & circunſtantijs.

Signum eſt dictum aut factum antecedens vel conſequens, vel cum re cohærens, & adiunctum: cum quis alicubi aliquid ante vel dixerit vel fecerit, vndè coniectura ſumatur, illum hoc, de quo eſt controuerſia, patraſſe. Signa vel maximè ſuſpicionem mouent, & quaſi tacita ſunt criminum teſtimonia: vt telum, vt cruor, vt deprehenſum aliquod quod ablatum ereptumue videatur, vt reſponſum inconſtanter, vt hæſitatum, vt titubatum, vt pallor, vt tremor, & ſimilia quæ aut in re ipſa, aut etiam antequàm factum eſt, aut poſtea, ſuſpicioſum crimen efficiant: vt Cicero inquit:

Exemplum de signo antecedente.

VT, Clodium ait Cicero dixisse, Milonem triduo periturum.

Item Milo duxit vxorem & liberos secum in rheda.

Igitur non est verisimile, profectum eum ad pugnandum.

De sequente.

VT, Fugit, expalluit; inconstanter respondit.

De adiuncto.

VT, Erat respersa cruore vestis, ipse ferro accinctus, eo ipso in loco visus, in quo facinus.

Circumstantiæ sunt Locus, tempus, & cæteræ, quæ hoc versiculo continentur.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Et hi iam dicti loci artificiales sunt, quia ab Oratore inuenti. Sed præter hos huc referendæ sunt illæ inartificiales probationes, vt quæ non ab Oratore inueniantur, sed ad eum cum ipsa caussa deferantur obiter, & velut à casu: qui & in tribus (vt vult Martianus Capella) positi sunt rebus, in Scriptura, vt tabellarum, in Autoritate vt testium, in Necessitate vt tormentorum.

A Scripto argumentum petitur, cum ad rei dubiæ probationem, vel chirographum, vel testamentum transactionis, aut tabulæ recitantur, cæteraque huiusmodi.

Ab Autoritate, vt Africanum dixiſſe, iure cæſum Tiberium Gracchum: aut cum teſtimonium, quò veritas nodetur, affertur.

A Neceſſitate, cum fides ex tormentis, aut ſomno, aut furore, aut vinolentia ſumitur. Hinc illud paſſim celebratum adagium, In vino veritas.

His locis ſiuè probationibus addunt quidam rumores, & famam, quæ pars altera (inquit Cæſarius) conſenſum ciuitatis, & velut publicum teſtimonium vocat, altera ſermonem ſine vllo certo autore diſperſum in ora hominum, cui malignitas initium dederit, incrementum credulitas. Hinc veriſſimè Ouidius dixit,

Sed nos in vitium credula turba ſumus.

Et de fama, cuiuſmodi ſit, ſapienter Virgilius,

Fama malum, quo nõ aliud velocius vllum,
Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo.

Peroratio duabus rebus conſtat, partim repetitione propoſitionis principalis, & potiſſimorum argumentorum, partim affectibus. Iam cuiuſmodi affectus deceant in vnaquaquè cauſa, ſine præceptis ſciri poteſt. Nam reo miſericordiâ opus eſt: accuſator odium ſtudet inflammare. Itaque hic motus animorum incitat. Ille mitigare ſtudet.

Genus Iudiciale, in quo dictio ſeù figura dicendi vehemens eſt & concitata, præteritum tempus reſpicit.

DE FIGVRIS RHETORICIS.

FIGVRÆ seù Schemata Rhetorica, vt Cornelius Valerius inquit, sunt exornationes & lumina orationis, quibus supra quotidianum sermonem illustratur oratio, & veluti coloribus depingitur, vt sit elegantior & iucundior.

Duo quidem sunt Figurarum genera, à Cicerone quoquè obseruata, quæ dicuntur verborum prius, sententiarum deinde exornationes in ordine, quem triplicem non solùm ille, de quo Cæsarius mentionem fecit, consultò nobis factus anonymus, quia ab Ecclesia damnatus; sed etiam multi alij nostrę ætatis viri docti fecerunt. Primus ordo continet eas exornationes, quæ ad dictiones siuè verba peculiariter pertinent. Secundus eas, quæ sententijs magis subseruiunt, quàm verbis. Tertius eas, quibus oratio non solùm figuratur, sed etiam simul augetur & amplificatur, tum verbis, tum sententijs. Quas propterea breuiter nos vocabimus Exornationes Verborum seù dictionum, Orationis seù sententiarum, & Amplificationis.

DE EXORNATIONIBVS VERBORVM, seù dictionum.

R*Epetitio* seu Anaphora & Epanaphora est, cũ verbũ idem in principio orationis iteratur.

vt, Scipio Numantiam ſuſtulit, Scipio Carthaginem deleuit, Scipio pacem peperit, Scipio ciuitatem ſeruauit. Cic. vel, Nihil te nocturnum præſidinm palatij, nihil vrbis vigiliæ, nihil concurſus bonorum omnium,&c.nihil horum ora vultuſque mouerunt. Teren. Hoccine eſt humanum factum aut inceptum? hoccine officium patris? Virgil. eclogá 10. Hìc gelidi fontes, hìc mollia prata Lycori. Hìc nemus, hìc ipſo tecum conſumerer æuo. Nulla hac figura frequentior, quæ adhibetur ad ornandam & exaggerandam orationem in omni dicendi genere, omnibuſque orationis partibus, maximè tamen in confirmatione, confutatione, & concluſione; mouetque affectus,& valet in primis, vt notat Bonciarius ad exhortandum, ad obiurgandum, & exprobrandum.

Conuerſio, quæ & Anaſtrophe, Epiſtrophe, vel Antiſtrophe, & à Rutilio Epiphora appellata, eſt, cùm in fine orationis idem repetitur verbum. vt, Italiam Annibal armis vicit, ingenio vicit, dolis vicit. Cic. vel, Doletis tres exercitus Pop. Rom. interfectos? interfecit Antonius. Deſideratis clariſſimos ciues? eos quoque eripuit nobis Antonius. Autoritas huius ordinis afflicta eſt? afflixit Antonius. Hæc exornatio,quæ, vt aduertit Bonciarius,in Poëtis eſt rara,ſed Oratoribus frequentior,accommodatur tribus generibus,graui figuræ, confirmationi, confutationi, & concluſioni.

Complexio, quæ & Symploce, ab alijs Epanalepſis & à Rutilio Cœnotes eſt, per quam idem

verbum tum in principio, tum in fine orationis repetitur. vt, Qui sunt qui fœdera sæpè ruperunt? Carthaginienses. Qui sunt qui Italiam deformauerunt? Carthaginienses. Qui sunt qui sibi postulant ignosci? Carthaginienses. Tale est etiam, Quis legem tulit? Rullus. Quis tribus sortitus est? Rullus. Quis decemuiros quos voluit, renunciauit? Rullus. Quem principem renunciauit? Rullum. Cicero de lege agraria. Item Virgilius, Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa. Hæc exornatio multò rariùs vsurpatur ab Oratoribus & Poëtis, Bonciarius credit, quia videtur habere nimis apertam artis ostentationem, nisi tamen ea, quæ repetuntur, aliquo modo inter se varientur, & misceantur; applicarique potest tribus generibus, & graui figuræ, confirmationi, & confutationi.

Duplicatio siue Copulatio, quæ & Ploce, à nonnullis Anadiplosis, ab alijs Epanadiplosis appellatur, est, cùm idem verbum cum emphasi, hoc est, significantia quadam repetitur. vt, Sed tandem ad illum vsque diem Memmius erat Memmius. idest, erat sui similis. Simia est simia, etiamsi aurea gestet insignia. Vel, Anadiplosis, idest Duplicatio & Reduplicatio est finis versus in principio alterius repetitio. vel, quum prioris sententiæ verbum vltimum, ac insequentis primũ, est idem. vt, —sequitur pulcherimus Astur Astur equo fidens, &c.

Pierides vos hoc facietis maxima Gallo

Gallo

Gallo cuius amor &c.Tale est, omnibus vni
Vni odijsque viro telisq. frequentibus instant.

In his vltima prioris versus dictio iteratur in initio sequentis.Sed & Oratores hac figura vtuntur summa cum gratia & venustate. Cic. Hic tamen viuit? viuit, imò etiam in Senatum venit. Hanc Cicero & alij, quos sequutus est Cyprianus Soarius, qui vnicâ figuræ huius voce contentus, ne vocum multitudine ac distinctione superfluâ confusionem pareret, prudenter tantùm dixit. hic geminari verba modis pluribus, dixerunt Cōduplicationem, Capella in Rhetorica vocat Replicationem. vt, Nunc etiam audes in horum conspectum venire proditor patriæ? Proditor inquam patriæ venire audes in horum conspectum? Cicero de Aruspicum responsis, De religionibus sacris,& ceremonijs est concionatus P.C.Clodius, Publius, inquam Clodius sacra,& religiones negligi, violari, pollui quæstus est. Hæc figura locum habet, quum iam feruet oratio, ac tum quidem vehementer commouet, & vulnus maius efficit, vt ille inquit. Conduplicatio igitur est exornatio, qua aut indignationis, aut commiserationis, aut admirationis gratiâ, vnum verbum aut plura conduplicantur. Indignationis, vt in exemplo proximè allato: Nunc etiam audes in horum conspectum venire,&c. Commiserationis, vt Vos moueant patris lacrymæ, Vos moueat domus nobilitas, Vos moueant tanti viri præclara facinora, Vos moueant vulnera,quę pro patria fortiter pugnan-

gnando accepit. Admirationis vt O facinus inauditũ, ò facinus inquam intolerabile. Adhibetur hęc exornatio Generi Iudiciali potissimùm, graui figuræ, confirmationi, & confutationi, & perorationi.

Traductio, græcè Ploce, Metabole, Epanodus, Tautulogia, à Rutilio Polyptoton, qua idem verbum crebriùs ponitur, diuerso tamen in casu aut genere, aut numero, & non modò auditoris animus non offenditur, sed oratio etiam concinnior redditur. vt Cic. Pleni sunt omnes libri, plenæ sapientium voces, plena ęxemplorum vetustas. Et, Qui nihil habet in vita iucundius vitá, is cum virtute vitam non potest colere. Et Teren. Eius me miseret, ei nunc timeo, is nunc me retinet. Virg. Litora litoribus contraria, fluctibus vndas Imprecor, arma armis, pugnent ipsique nepotes. Persius: Ex nihilo nihil, in nihilum nil posse reuerti. Habet hæc figura locum in Enthymematis, & in argumentis à coniugatis, vt: Propter virtutem nobilitas in laude est. igitur virtus magis laudari meretur, quàm nobilitas. Et, Eum tu hominem appellas qui si fuisset homo, non sic humanitatis studiosos persequeretur. Est etiam Traductio, cum idem verbum voce, sed diuersâ significatione ponitur: vt, Iucundum est amari, si curetur, ne quid amari insit. Item. Dulce ab initio amare omnibus videtur, sed multi amantes inuenti sunt, qui de amore amarè conquesti sunt. Item. Meretrices in iuuentute merent, sed in senectute mœrent.

Vna

Vna eademque vox græca varijs attributa figuris, & contrà varijs ac diuersis nominibus vna eademque vocitata figura. quod passim ac liberè, sed non ineptè ab illis magnis Rhetoribus, quos deinde nostri sunt imitati, factitatum est, cùm alij alijs sub respectibus, proprijs tamen & germanis fecerunt, fuit in caussa, cur perquàm tenui limite posteà diuiderentur omnes ferè figuræ, vix vt discernere possimus. Tu verò lector homonymis, his nominibus desines confundi & perturbari, si in singulis primis cuiusque figuræ nostris vocibus insistes. Ni credas, par est vt experiaris. Quadrat hæc exornatio tribus generibus, omnibus figuris, narrationi, confirmationi, & confutationi.

Articulus, qui & Asyndeton, Dialyton, Barchylogia, & latinè etiam Dissolutum, est cum multa acerba sine coniunctione proferuntur. vt, Dum ætas, metus, magister prohibebant. Et, Veni, vidi, vici. Et, Acrimoniâ, voce, vultu aduersarios terruisti. Et, Abijt, excessit, euasit, erupit. Vtimur maximè hac figura, cum quid acriter & vehementer dicendum est, vt Virg. Ferte citi flammas, date tela, impellite remos. & Ter. Cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, & prosternerem. Hìc si coniunctio addatur, perierit impetus ille, & quasi orationis, vt si dicas, Cæteros ruerem, & agerem, & raperem, &c. Adhibetur hæc exornatio omni generi, iudiciali præcipuè, omni figuræ, & præsertim graui, confirmationi, confutationi, & conclusioni. Huic contrarium schema est, à Græcis ipsis

Polysyndeton dictũ, Latinis versum Coniunctum aut Copulatum quum oratio multis coniunctionibus cohæret. vt Virg. tectumque laremque Armaque Amicleumque canem. sed per has encliticas coniunctiones factum est carmen non vsurpandum. Sæpenumero in singulis verbis, non rarò etiam per plura commata: vt Cic. Me præ cæteris & coiit, & obseruat, & diligit. Item: Non ita fractus sum, vt aut hominem me esse oblitus sim, aut fortunæ succumbendum putem. Nam solet non modò per copulatiuas, verùm etiam per disiunctiuas & alias eleganter fieri, & nonnunquã duobus, nonnunquam pluribus vel membris vel commatis.

Similiter cadens, græce Homoeoptotòn, quum plures casus in eundem exitum finiunt: vt, Hominem laudas egentem virtute, abundantem felicitate. Cic. Non odio bonorum, sed inuidiá præmor malorum. Et Curtius, Ille nec castigare obstinatos, nec mitigare poterat iratos. Hæc figura, vt & ea quæ sequitur, fit elegantior & picturatior, si contrarijs, repetitione, adnominatione, alijsque similibus commendetur, & si ibi Compar, quod Parison vocant, vel Isocolon adsit. Cic. Sociorum innocens subsidium, cùm à ciuibus interclusum sit præsidium? Quam colere gentẽ nunc instituam? vtrùm vt custos accipiar, an vt proditor excludar? Si vt conseruator, vestra erit ignominia: si vt oppugnator, præcisa erunt omnia. Sed quid ego plura de illorum aut in me maledictis, aut in vos scelerate

lerate loquar factis? quorum cognita improbitas me tacente coarguitur turpitudine vitæ, vt de ijs non sit necesse inimicos prædicare, de quorum scelere ne amici quidem aut ipsi possunt negare. Hic non solùm figura est in illis casibus, subsidium præsidium, &c. Sed etiam in illis verbis, accipiat, excludat. Nam & verba sicut nomina aliquo modo suos habent casus. Aptanda est hæc exornatio omni generi, omni figuræ, confirmationi, & confutationi.

Similiter desinens, græcè Homœoteleuton, cùm tametsi casus propriè non insunt in verbis; similes tamen exitus sunt. vt, Turpiter audes facere, nequiter studes dicere. Item, Viuis inuidiosè, delinquis studiosè, loqueris odiosè. Item, Audacter territas, humiliter placas. Sic, Abijt, excessit, erupit, euasit. En vides eundem sonum siuè rhythmũ. Similiter cadens in nominum casibus est similiter desinens, in quibuscunque vocibus. Illud sciendum, inquit quidã, huiusmodi delitias, quæ Comparibus & Similiter cadentibus aut desinentibus constant, non modò fidem abrogare dicendi, sed & fastidium citò afferre. Quare parciùs vtendum in re seria. Competit omnibus figuris, præcipuè tamen mediocri, omnibus generibus, precipuè demonstratiuo, omnibus partibus, maximè tamen narrationi, confirmationi, & confutationi.

Membrum orationis Compar latinè dictum, hoc est, par membrum, græcè Colon siuè Isocolon, Cicero vocari ait, cùm res breuiter absoluitur sine to-

totius orationis demonstratione, quæ denuò alio membro excipitur, cum eodem tamen ferè numero syllabarum. vt, Inimico proderas, amicum lædebas. Hic membrum eius orationis vnum est, inimico proderas, quod mox excipitur alio membro, nempe illo, & amicum lædebas. Atque hæc exornatio solis duobus membris cõstat: sed commodissima (vt idem ait Cicero) & absolutissima est, quæ tribus constat membris, hoc modo, Et inimico proderas, & amicum lædebas, & tibi ipsi consulebas. Bonciarius recipit etiam vt vsitatissimum Isocolon quadrimembre: ratò longius. Membrorum autem paritas, inquit idem, non syllabis numerandis affectãnda est, sed aurium iudicio metienda. vt, In prælio mortem pater oppetebat, domi filius nuptias comparabat: item, Audacia Alexandro gloriam comparauit, sapientia Platoni laudem vendicauit. Vtimur in omni genere figuraque, & partibus, maximè tamen in narratione.

Agnominatio & Adnominatio, græcè Paranomasia seù Prosonomasia & Paragramma, quum plures dictiones voce similes, significatione dissimiles, aut additis, aut detractis, aut mutatis literis vel syllabis magna cum festiuitate collocamus. vel est, cùm similitudine literarum deflectimus in contrarium. vt Ter. Inceptio est amentium, haud amantium. &, Tibi erunt parata verba, huic homini verbera. Cic. Philip. 3. de Pædagogo Antonij dixit, Hem, cur magister eius ex oratore ora-

tor

tor factus sit? Idem ad Attic. 1. Consul autem ipse paruo animo & prauo: facie magis, quàm facetijs ridiculus. Idem 31. Fuerunt quos fames magis, quàm fama commouerit. Item, Oneri potiùs, quàm honori est; sic Ouidius vsus hac figura, Non honor est onus. Suetonius item de Tiberio & Nerone, alterum Biberium, alterum Meronem appellatos fuisse dixit. Et, Deligere oportet, quem velis diligere. &, Nolo esse laudator, ne fortè videar adulator. &, Oppugnari vir bonus potest, expugnari autem non potest. &, Non decet hominem genere nobilem videri mobilem. Teren. Quare æquum est vos cognoscere atque ignoscere. Tale est, quod occiso Fratre Bassianus dixisse fertur, cum audiret posse mitigari facinus, si diuum fratrem appellaret, Sit (inquit) diuus, modò ne viuus. Apta est hæc exornatio omni generi, sed demonstratiuo præcipuè, omni figuræ, & humili præsertim, narrationi, & conclusioni.

Nominatio, græcè Onomatopœia, hoc est, nominis fictio, Græcis inter maximas habita virtutes, nobis (vt Quintilianus autor est) vix permittitur. Hæc definitur à Cicerone, per quam cui rei nomen non sit, aut satis idoneum non sit, eam nosmet idoneo verbo nominamus, aut imitationis, aut significationis causâ. Imitationis cùm illis vtimur, quæ pepœemena græcè, fictitia latinè dicuntur. Significationis, cùm vocabulo vtimur translato, quò meliùs rem aliquam exprimamus, vt fragor ciuitatis pro strepitu, & tumultu.

Inde

Inde enim ſunt taratantara, bombarda, rudere, mugire, vagire, murmurare, ſibilare, balari, & ſimilia. Hæc exornatio conuenit omni generi, omni figuræ, omnibus partibus orationis, prærerquam narrationi, & diuiſioni.

Pronominatio, ſiuè Antonomaſia, cum nomen proprium permutatur, vt pro Iunone, Saturnia. pro Homero, poëta. Is enim propter excellentiam commune poëtarum nomen efficit apud Græcos ſuum, ita vt apud Latinos Virgilius. Africani nepotes pro Gracchis. Philoſophus pro Ariſtotele, & Apoſtolus pro Paulo. Hæc exornatio, quæ poëtis, quàm oratoribus familiarior eſt, conuenit omnibus figuris, præcipuè graui, omnibus generibus præcipuè iudiciali, confirmationi, & confutationi: vtimur laudando, lædendoque corpus, animum, & externa.

Denominatio ſiuè Metonymia, ideſt tranſmutatio. vt cùm nomen inuentoris pro re inuenta ponimus: pro Libero patre, ſeu Baccho vinum, pro Cerere frugem. Interdum hæc figura facit ad vehementiam, vt ſi quem Veneri deditum eſſe dixeris, id nimirum ardentius eſt, quàm ſi libidini. Sic & acrius eſt dicere Mauors, quàm bellax. Cùm effectum pro cauſa. vt, pallida mors. Cùm continens pro contento. vt, Nunc pateras libate Ioui. Cùm autorem pro opere. vt, Terentius ſemper eſt in manibus habendus. Cùm pro exercitu ducem. vt, Annibal ad Cannas LX millia Romanorum occidit. Magis poëtis quàm oratoribus conuenit,

uenit, & omnibus figuris, generibus, atque partibus.

Abusio seù Catachresis est, cùm pro certis & proprijs verbis vtimur similibus & propinquis. vt, si quis dicat, Vires hominis breues sunt, idest paucæ, & hic homo est paruâ staturâ. pro breui. Hic valet multo consilio, pro magno. Habuisti magnam orationem, pro longam. Sic enim dicendum erat. Nam Abusio dicitur quasi contra vsum. Vsurpatio etiam nominis alieni est abusio. vt, Parricida, qui vxorem occidit, cùm propriè sit, qui occidit parentem. A Metaphora differt, quòd Abusio est, vbi nomen defuit: translatio vbi aliud fuit. Omnibus conuenit generibus, figuris, atque partibus orationis.

Defectio siuè Eclipsis, cùm in oratione deest aliquid necessarium. vt apud Virg. Hæc secum: deest, loquitur. Sexcenta sunt apud Cic. vt, Pyliæ & Atticæ salutem. &, Hæc ad te meâ manu. &, Quòd mihi Bruti literas, gratum, &c. Verbum enim orationi absoluendæ deest etiam citra affectum, aut per sermonis interruptionem, vt sæpenumero in Comœdijs, & dicitur Reticentia, Præcisio, græcè Aposiopesis, aut studio propter facilem eius intellectum, vt: Italiam fato profugus Lauinaque venit Littora. Virg. pro ad Italiam, &c. Quadrat omnibus generibns, figuris, &c.

Fermutatio siuè Allegoria est oratio aliud verbis, aliud sententiâ demonstrans, vt Vino vendibili suspensâ hederâ nõ est opus. Et Ouidius de amo-

re Pyrami & Thysbes allegoricè sic canit; Quòque magis tegitur, tantò magis æstuat ignis. Hic aliud dicitur, aliud intelligitur. Fitque tribus modis, per similitudinem, per argumentum, per contrarium. Per similitudinem, vt si canes funguntur officio luporum quorum præsidio pecuaria nostra credemus. Item. Coruis ignoscimus, columbas insectamur. &, Lupus est in fabula. Per argumentum, vt si quis appellet aliquem nobilem, ignobilem factum, Numitorem obsoletum. Per contrarium vt si quis prodigum, aut luxuriosum illudens parcum, & rerum suarum diligentem appellet. Si quis etiam appellaret intemperantem & adulterum, alterum Hyppolitum, aut Bellorophontem. Huius generis est etiam derisio illa in Neronem, hoc disticho à Suetonio posita,

Quis neget Æneæ magnâ de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Hæc orationem non tantùm illustrat, sed etiam eleganter extendit. Vtimurque in omni figura, sed graui præcipuè, omnique genere, orationisque partibus, potissimùm tamen confirmatione, & confutatione.

DE EXORNATIONIBVS ORATIONIS
seù Sententiarum.

INterrogatio (vt eam definit Cicero) est, per quā cùm enumerata sunt ea, quæ obsunt causæ aduersariorum cōfirmamus superiorem orationem. interrogationum duæ sunt formæ. Simplex vna,

quæ

quæ non recipitur inter ſchemata Rhetorica, vt interrogare ſic: Sed vos qui tandem? quibus aut veniſtis ab oris? Figurata altera, quæ multas habet ſpecies. Interrogamus enim nonnunquàm non ſciſcitandi gratiâ, ſed inſtandi vel arguendi. vt Cic. Quid enim tuus ille Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? &, Quouſque tandem abutère Catilina patientiâ noſtrâ? Aut miſerátionis causâ. vt, Sinon apud Virgilium, Heù quæ me tellus, quæ me nunc æquora poſſunt Accipere? Aut indignationis. vt, — & quiſquam numen Iunonis adoret Præterea? Aut admirationis. vt Dij boni, quid illic hominum litigat? Aut acriùs imperandi gratiâ. vt, Non arma expedient, totaque ex vrbe ſequentur? Hæc à Græcis appellatur Pyſma, Herotesis, Erotema, Epitrochaſmus. Hęc figura ſi tempeſtiuè adhibeatur, multum vigoris & aculeorum addit orationi, & eam reddit omninò quaſi viuidiorem, quàm ſi ſimpliciter enuncietur. Tum verò commodiſſimè adhibebitur, cũ quid argumentis eſt euictum. Habet enim vim maximam ad inſtandum & cogendum aduerſarium fateri rem ita eſſe, vt nos dicimus, hoc modo, Cùm igitur hæc omnia faceres, diceres, ſic adminiſtrares, vtrùm animos Sociorum à Rep. remouebas & alienabas; An non? Item. Audeſne hoc dicere? nonne vides id omnibus patere? nonne ſentis te nullo modo poſſe effugere? Omnibus competit generibus, pręcipuè iudiciali, cõfirmationi, & confutationi, omnibus

bus figuris, pręcipuè humili. Nam ad sermonem est accommodata vehementer, animumque retinet auditoris attentum tum venustate sermonis, tum rationum expectatione.

Subiectio, græcè Hypophora, & Antipophora, est, cùm quid aduersum nos, aduersariosque nostros dici possit, quęrimus, & quod dici oporteat, mox subijcimus: vel, Subiectio est, cùm ipsi nostræ interrogationi respondemus: vt, Eum tu hominem appelles, qui si fuisset homo, non sic vitam hominis insectaretur? Sic, Ideone studia deseremus, quòd magnus in his subeundus labor? Nequaquã. & Ter. Egon propter me illam decipi miseram sinam? Non faciam. Item Cic. Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia superabat? at egebas. Et in Catilinam, Nonne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabis? Quid tandem impedit te? Mosne maiorum? at persæpè etiam priuati in hac Rep. perniciosos ciues morte mulctarunt. An leges, quę de ciuium reorum supplicio rogatæ sunt? at nunquam in hac vrbe, si qui à Rep. defecerunt, ciuium iura tenuerunt. An inuidiam posteritatis times? Pręclaram verò populo Romani refers gratiam, qui te hominem per te cognitũ ad summum imperium extulit, si propter inuidiam aut alicuius periculi metum, salutem ciuium tuorum negligis. Item, Sum pius, heu doleo, nam mihi sæpe nocet. Ad id responsum est, quod dixit, Sum pius, heù doleo, si quis rogaret, cur doles? Item:

Quę-

Quæro igitur, vndè iste tam pecuniosus sit factus? Amplum patrimonium relictum est. At patris bona venierunt. Hæreditas aliqua obuenit? Non potest dici, sed à necessarijs omnibus exhæredatus est. Præmium aliquod ex lite, aut iudicio cœpit? Non modò id non fecit, sed etiam insuper ipse grandi sponsione vinctus est. Ergo si his rationibus locupletatus non est, sicut omnes videtis, aut isti domi nascitur aurum, aut vndè non est licitum, capit. Congrua est hæc exornatio, quæ orationem nonnihil auget, generi iudiciali, & deliberatiuo, graui figuræ, confirmationi, & confutationi.

Exclamatio, græcè Aria, Anaphonesis, & Apostrophe, est, quæ aliqua re exposita ad dolorem, aut indignationem, aut commiserationem, aut admirationem animos auditorum inducit: vt, Te nunc alloquor Africane, cuius nomen splendori & decori ciuitati est. Tui clarissimi nepotes suo sanguine inimicorum crudelitatem abluerunt. Item, O tempora, ò mores! & O cœlum, ò terra, ò maria Neptuni. Neque ibi solùm exclamatio est, vbi auditur O, sed quoties impotens affectus erumpit, ibi demum exclamatio est. vt, Me miserum! Tale illud Virgilij, Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames? Interdum per parentesin inseritur: vt, Tum lasciua proteruitas ac luxus petulans (hæc pudet ac piget) fœdauit iuuenem nequitiæ sordibus, vt ille canit. Conduplicatur vehementia, si accesserit Apostrophe:

vt, proh quanta potentia regni Est Venus alma tui. Aria quoque, hoc est, execratio oratoria, huc refertur, vt supra videtur; talis est illa Ciceronis; O scelus, ò portentum in vltimas terras exportandum. Graui maximè conuenit figuræ, & in omnibus vtimur generibus, & in conclusione precipuè ad indignationem, atque cōmiserationem commouendam. Hac si loco vtemur, & rarò, & cùm rei magnitudo postulare videbitur, ad quam volemus indignationem animum auditoris adducemus, vt aliàs dictum est.

Insultatio, græcè Epicharma, siuè Epicharsis; qua alicui contumeliosè quicquam nec sine irrisione opprobramus. vt, Virg. 4. Æn. I, sequere Italiam ventis, pete regna per vndas. Et Ouid. in epist. quæ est Phædrę ad Hippolytum: I nunc, & meritæ lectum reuerere parentis. Quidam hanc comprehendunt sub Permissione, cùm per ironicam conçessionem habet artificiosam prohibitionem, vt in allatis patet exemplis, sed de hac infra. Huius vsus idem ac illius.

Dubitatio, quę à Gręcis Aporia, & Diaporesis dicitur, ea est, qua Orator dubitat verum de duobus, aut quid de pluribus potissimùm dicat vel agat; maximè cùm propter rerum multitudinem, vel aliquo dolore affectus, ambiguus est, vndè sumat exordium. vt, Equidem quò me vertam, nescio. &, Tu istud ausus es dicere homo omnium mortaliū, quæro quonam te digno moribus tuis appellem nomine? Cic. pro Roscio, Quid primum

que-

querar? aut vndè potissimùm Iudices ordiar? aut quod, aut à quibus auxilium petam? Deorumne immortalium? populine Romani? vestramne qua summam potestatem habetis hoc tempore, fidem implorem? Tale etiam est, Eloquar, an sileam? & Terentius, Quid commemorem primùm? aut laudem maxumè, &c. Hæc figura mirè, vt videtur ad affectum facit, & conuenit graui figuræ, iudiciali deliberatiuoque generi, maximèque principijs demonstratiui, confirmationi atque confutationi.

Communicatio, græcè Anacœnosis, est (vt à Quintiliano definitur) cùm ipsos aduersarios consulimus, aut cùm Iudicibus quasi cõmunicamus, hoc est, deliberamus. vt, Quid suadetis? & , Vos interrogo, quid tandem fieri oportuit? &, Hic tuã conscientiã appello, an ferres hoc ab alio factum, quod tibi nunc vis esse impunè? Mirè enim ad obiurgandũm valet hęc figura, quæ pręcipuè generi conuenit iudiciali.

Permissio, siuè Concessio, Epitrope dicta, à Donato, & Rufiniano confinis Communicationi, est, cùm aliqua ipsis Iudicibus relinquimus æstimanda, aliqua nonnunquàm aduersarijs quoque. vel vt Cicero, sed in eundem ferè sensum, cùm in dicendo ostendimus nos rem aliquam totam tradere & concedere alicuius voluntati. quod inuiti tamen facimus, vt Effundite, emite, facite quod vobis lubet. & , Vobis Iudices, cogitandum relinquo, quid hinc Respublica detrimenti accepe-

rit, &, Hoc in bello amiſi duos filios: hic ſolus mihi ſupererat, quem meæ ſenectutis baculum ſperabam, ſed quoniam iniquæ fortunæ ita placet, me ipſum, & filium vobis trado. Dicite, facite, de nobis decernite, quicquid vobis libuerit. Et in Actis Apoſtolorum, Sitne magis hominibus obtemperandum, quàm Deo, ipſi iudicate. Conuenit graui figuræ, generique præcipuè iudiciali, concluſioni maximè, in qua commiſerationem commouere ſtudemus.

Licentia, quam & Parrheſiam vocant, definitur à Cicerone, cum apud eos, quos aut vereri aut metuere debemus, tamen aliquid pro iure noſtro dicimus, quod eos minimè offendat. vel ſic, Licentia eſt, cùm ſimulatione quadam & ſpecies libertatis, aut noſtra, aut aliorũ errata ita reprehendimus, vt figuratè interim adulemur, vt eſt illud Ciceronis in oratione pro Ligario, Suſcepto bello, Cæſar, geſto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, conſilio ac voluntate mea, ad ea arma profectus ſum, quæ erant contra te ſumpta. Hic non ſolùm ad vtilitatem Ligarij reſpicit, ſed magis laudare victoris clementiam non poteſt, vt Quintilianus annotauit. &, Miramini Quirites, quòd ab omnibus rationes veſtræ deſerantur: quòd cauſam veſtram nemo ſuſcipiat, &c. id tribuite veſtræ culpæ, atque definite mirari, &c. Sic Rutilius ex Demoſthene, Sed ego liberam vocem veritatis apud vos omittam? Non inquam, nec reticebo quod ſalus communis dicit. Sed hac figura pru-

denter,hoceſt, lenibus verbis,vtendum eſt; eaque ipſa congrua eſt generi iudiciali, & deliberatiuo; graui figuræ; confirmationi, & confutationi.

Auerſio,ſiuè Conuerſio quæ & Apoſtrophe,cùm ſermonem conuertimus ad abſentem, vel etiam præſentem, vel defunctum, vel ad noſmetipſos,vt Cicero orationem conuertit à Cæſare ad Q. Tuberonem Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharſalica gladius agebat? &c. Tumue locum habet hæc figura, quum iam feruet oratio, vt patet in exemplo,cùm mirè faciat ad cõcitandos animos. Tale eſt, Vos enim iam ego Albani tumuli,atque Luci, vos, inquam, imploro, & obteſtor. Loquitur hic Cicero de Clodio, quem vult iure eſſe occiſum, quia Deorum aras, & templa ſuſtulerat & diſturbauerat. Sic, Te nunc alloquor Africane, cuius mortui nomen ſplendori, ac decori eſt ciuitati. Vtimur in omni genere,& maximè in graui figura.

Occupatio, à Græcis Paralepſis, à Latinis, quibuſdam Prętceritio,vel Pręcermiſſio, cùm dicimus nos præterire, aut non ſcire, aut nolle dicere id quod tum maximè dicimus, vt Non dicam te à Socijs pecunias accepiſſe. Item, Non ſum in eo occupatus, quòd ciuitates, regna, domos omniũ depopulatus es. Furta, rapinas omnes tuas omitto. &, Prętereo quòd adoleſcentiam omni ſcelere contaminaris. &, Nolim dicere, quàm turpiter antea geſſeris magiſtratum. Hic enim me nego velle dicere, id quod in tranſcurſu dico tamen.

Tale

Tale est, Vertit Homerum, ne dicam peruertit. Hæc Occupatio agnoscitur in illo Terentiano, Vt ne addam, quod sine sumptu ingenuam, & liberalem nactus es. Conuenit graui figuræ, omnibus generibus, ac partibus, excepta diuisione.

Additur ab alijs, inquit Macropedius, *Histeronproteron*, siuè Histerologia, cùm id quod naturâ posterius est, prius dicimus, vt: Et torrere parant flammis, & frangere saxo. & Ter. Valet, & viuit. Addunt *Chronographiā*, qua tempus describimus. *Topographiam*, qua locum describimus. *Topothesiam*, qua locum fingimus. Item *Imprecationem*, qua alicui bonum vel malum imprecamur. *Obtestationem*, qua per rem charam aut sacram aliquid petimus. *Deuotionem*, qua nos vel periculo, vel morti deuouemus. *Comminationem*, *Exhortationem*, *Votum*, & id genus alias phrases, quas si singillatim explicare velimus, & figuris adnumerare, nullus foret scribendi finis. Cæterùm huiusmodi tam familiares & planæ sunt, vt nullus non facilè eas obuias agnoscat. Ergo ad tertium à nobis propositum ordinem transeamus.

DE EXORNATIONIBVS AMPLIFICATIONIS, Hoc est, tum verborum, tum sententiarum, sublimiorum & ampliorum.

INterpretatio, à quibusdam Synonymia, à nonnullis Ermenia, ab alijs Exegesis, est quoties idem alijs verbis dicitur. fit autem ista iteratio duobus modis, pluribus verbis, aut pluribus sen-

ten-

tentijs seù clausulis. Pluribus verbis, vt Abijt, excessit, erupit, euasit. Cic. &, Egredere aliquando ex vrbe, patent portæ, proficiscere. &, Nobiscū versari iam diutiùs non potes, non feram, non patiar, non sinam. Tale est, Prostrauit, afflixit, perculit. & , Hic eos , quibus erat ignotus, decepit, fefellit, induxit. Pluribus clausulis. vt, Rempub. radicitùs euertisti, Ciuitatem funditùs deiecisti: &, Hic tu qua lætitia perfruere? quibus gaudijs exultabis? quanta in voluptate bacchabere? &, Hæc si tibi tuus parens diceret, posses ab eo veniam petere? posses, vt tibi ignosceret, postulare? Tale est, Patrem nefariè verberasti, parenti manus sceleratè intulisti. Vtimur hac figura in genere iudiciali, graui & mediocri figura, confirmatione, confutatione, & conclusione, & ferè quoties vno modo non satis videmur dignitatem aut magnitudinem rei demonstrare, atque ideò ornandæ atque amplificandæ rei gratiâ idem prorsus mutatis subinde verbis, velut plura ingerimus. Necesse est enim eius, qui audit, animum vehementer commoueri, cùm grauitas prioris dicti renouatur interpretatione verborum.

Definitio, à Græcis Orismos, qua rei alicuius proprietas breuiter, & absolutè ostenditur. vt, Maiestas Reip. est, in qua continetur dignitas, & amplitudo ciuitatis. Item, Iustitia est animi virtus, quæ vnicuique quod suum est, tribuit. Hæc exornatio percommoda est, quando ambigitur de vero nomine alicuius virtutis. Exempli gratiâ.

 Quam

Quam tu fortitudinem appellas, ego temeritatem esse dico. Nam Fortitudo est contemptio laboris, & periculi cum ratione vtilitatis, & compensatione commodorum. Temeritas verò est cum inconsiderata dolorũ perpessione, gladiatoria periculorum susceptio. Aptanda est hæc exornatio omni generi, graui figuræ, confirmationi, & confutationi, & est pernecessaria constitutioni definitiuæ.

Demonstratio, græcè Epidixis, est, cùm res ita verbis exprimuntur, vt geri videantur, & ante oculos audientium poni: vt, Gracchus vbi prospexit fluctuare populum verentem, ne ipse authoritate Senatus commotus sententiâ desisteret, iubet aduocari concionem. Iste interea scelere, & malis cogitationibus redundans volat ex templo Iouis sudans oculis ardentibus, erecto capillo, cõtortâ togâ, cum pluribus alijs ire celeriùs cœpit. Conuenit omnibus figuris, generibus, narrationi præcipuè, & conclusioni, quę per amplificationem, vel commiserationem fit.

Significatio, à Græcis Emphasis, est res, quæ plus in suspitione relinquitur, quàm positum est in oratione: scilicet, est amplior virtus altiorem prębens intellectum, quàm quem verba per se ipsa declarant. Virg. demissum lapsi per funem. Nam magnitudo est significata, seù demonstrata Equi & altitudo. Idem. Non licuit thalami expertem sine crimine vitam Degere more feræ? Et hæc est prima huius species, quæ plus significat, quàm dicit. Sequitur altera species, quę etiam

id

id quod dicit, significat, & consistit in voce aut omnino suppressa, aut etiam abscissa. Supprimitur vox, vt fecit pro Ligario Cicero. Quòd si in tanta fortuna bonitas tanta non esset, quam tu per te, per te ipse inquam obtines: Intelligo quid loquar. Tacuit enim illud, quod Nihilominus accipimus, non deesse homines, qui ad crudelitatem eum impellerent. Abscinditur per Aposiopesin, idest reticentiam, præcisionem, interruptionem, cum propter affectū aliquid præciditur. Ter. Quid ais, omnium? Intelligitur enim pessime, aut ferè quid simile. Nam irâ commoti plus gestu semper, quàm verbis exprimunt. Sunt verba quædam Emphasim habentia. Virgilius. dum Cæsar ad altū Fulminat Euphratem. Plus nimirum hic animo concipimus, quàm si dixisset, bellat. Omni generi congrua est hæc exornatio, omni figuræ, confirmationi, & confutationi.

Confirmatio, Prosopopœia græcè fit, cùm aut res mutæ, aut mortui introducuntur loqui: vt Scipio si reuiuiscat, dicet, Ego vrbi pacem peperi: vos bella concitastis. Si hæc etiam vrbs inuictissima, nunc vocem emittat in hunc modum: Ego illa plurimis trophæis ornata, triumphis ditata, certissimis, clarissimis locupletata victorijs, nunc vestris seditionibus vexor ò ciues. Quam dolis perfida Carthago, viribus probata Numantia, disciplinis erudita Corinthus labefactare non potuit, eam nunc patiemini, ab hominibus teterrimis proteri atque conculcari. Et Cic. Si mecum,

in-

inquit,patria,quæ mihi vitâ meâ multò est carior, si cuncta Italia,si omnis Resp.sic loqueretur,M. Tulli quid agis? & quæ sequuntur. Graui præcipuè conuenit figura, iudiciali generi & deliberatiuo, conclusioni, quæ per conquestionem,aut indignationem fit, & amplificationi.

Effictio, græcè Characterismus, qua exprimimus, & effingimus nostris verbis personæ alicuius figuram,quoad satis sit ad intelligendū. vt, Illum dico Iudices, rubrum, breuem,incuruum,canum, subcrispum, cæsium, cui sanè magna est in mento cicatrix, si quomodo potest in memoriam vobis redire. Est species descriptionis rhetoricæ,quemadmodùm & Conformatio siue Prosopopœia. Vtitur hęc exornatione,nimirum Effictione,quæ conuenit omnibus figuris, generibus, ac orationis partibus,præterquàm diuisioni, Suetonius in descriptione vitæ cuiusque Cæsaris, à Iulio Cæsare orsus ad Domitianum vsque Cæsarem.

Gradatio, græcè Climax, ab Aquila Ascensus vocatur, cùm de verbo in verbum fit gradatio. vt, Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria æmulos comparauit. &, Nam quæ reliqua spes liberatis, si illis & quod libet, licet; & quod licet, possunt: & quod possunt, audent: & quod audent, faciunt: & quod faciunt,vobis molestum non est? Habet in se quendam leporem superioris cuiusque crebra verbi repetitio. Conuenit hæc figura demonstratiuo magis generi, & mediocri magis atque attenuatę figuræ,confirmationi, confuta-

futationi, conclusioni,& procemio nunquam, narrationi nunquam, quia breuitati contraria est.

Transitio siue Transgressio, grecè Metastasis vel Metabasis, est, quæ cum breuiter ostendit, quid dictum sit, proponit item breuiter, quid consequatur. vt, In patriã cuiusmodi fuerit, habetis: nunc in parentes qualis extiterit, considerate. Item. Hactenus de fortunæ bonis diximus, nunc ad animi bona transeamus. Facit autem ad docilitatem hæc figura, quæ conuenit omni generi, omni figuræ,& partibus orationis præterquàm diuisioni, & conclusioni.

Correctio, à Grecis Epanorthosis dicta,& Diorthosis, ac Phorismus, & à Rutilio Metanœa, est, quæ tollit id quod dictum est, & pro eo id quod magis idoneum videtur, reponit. Cùm videlicet id quod quasi lapsabundi diximus, aliud supponentes rectius seù magis idoneum corrigimus. vel, posito vno verbo aliquod aliud melius ac vehementius reponimus. vt, Crudelis homo, atque adeò ne homo quidem. Ter. Filium vnicum adolescentulum habeo. Ah quid dixi habere me? Imò habui Chreme. Cic. Qua ille leges, si modò leges nominandæ sunt, ac non faces vrbis,& pestes Reip. In Verrem. Non enim furem, sed raptorem, non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ, &c. Idem, O clementiam populi Romani, seù potiùs patientiam miram ac singularem. Punitus est, quanquã illa non pœna, sed proditio sceleris fuit. Est autem species amplificationis, & auget orationis

tionis reuerentiam: Facit auditorem arrectiorem, quàm si statim ad optiœum & electissimum verbum Orator deueniret. Potest applicari omni figuræ, sed graui præcipuè, omniq́ue generi, sed iudiciali maximè, omnibusq́ue partibus, sed confirmationibus potissimùm, & reprehensioni.

Interpositio & Interclusio, vulgò Parenthesis, fit, dum in oratione aliquid declarandi causâ interponitur. Virg. 1. Æn.

Æneas (neque enim patrius cõsistere mentē
Passus amor) rapidum ad naues præmittit
Achatem.

Quintilianus hanc figuram tunc fieri dicit, cùm continuationi sermonis medius aliquis sensus interuenit. Ponitur in omni genere sermonis.

Contentio, græcè Antitheton, aut etiam Antithesis, cùm ex contrarijs amplificatur oratio. vel, Est rerum contrariarum seu diuersarum comparatio, hoc est, vt Cicero inquit, quum contrarijs opponuntur contraria, fitq́ue vel verbis inter se pugnantibus, vel sententjs contrarijs. Senentijs. vt Habet assentatio iucunda principia, eadem exitus amarissimos affert. Ouidius,

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Idem in Tristib.

Ille habuit fidamq́ue manũ, sociosq́ue fideles,
Me profugum comites deseruere mei.
Ille suam lætus patriam victorq́ue petebat,
A patria fugio victus & exul ego.

Atque

Atque hæc Cōtentio propriè figura sententiarum est, quum sententiæ contrariæ ex comparatione referuntur. Illa verborum magis est, quæ ex contrarijs verbis efficitur, vt, In fuga, fœda mors: in victoria, gloriosa. &, Tacito cum opus est, clamas; quum loqui conuenit, obmutescis. Omni conuenit figuræ, omniq́ue dicendi generi, sed maximè iudiciali, & in confirmatione atque reprehensione.

Circuitio, siuè Circuitus vt quidam ex Quintiliano, & græcè Periphrasis, idest Circumlocutio, est exornatio, qua id, quod vno verbo dici potest, pluribus verbis non absque summa venustate dicitur, vt in ornandis quæ pulchra sunt; vel necessitatis causâ vt in dissimulandis turpibus. Breuiter, Periphrasis est, quum significari breuiùs potest, quod cum ornatu latiùs ostenditur. Cic. Potest (inquit) mihi denegare prudentia tua: pro, tu. Et, Scipionis prouidentia Carthaginis opes fregit: pro Scipio Carthaginem fregit. Et, Virgilius 2. Aen.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris.
Incipit, & dono Diuûm gratissima serpit.

Hìc Poëta describit initium noctis circumloquendo. Dictu deformia texit Sallustius, cùm dixit, At reliqua sunt intima naturæ. Conuenit Poëtis; Oratoribus est astrictior. Conuenit graui & mediocri figuræ, demonstratiuo præcipuè generi, vbi maior est ornandæ orationis cura.

Expolitio siuè Repetitio probationis, græcè Epexergasia; sic enim interpretatur à Budæo, est (vt eam definit Cicero) cum in eodem loco manemus, & aliud atque aliud dicere videmur. hoc est, sententiam eandem alijs atque alijs modis & rationibus per diuersa verba variamus. Variabimus, inquam, seù commutabimus tripliciter, verbis, pronunciando, tractando: Verbis quidem, cum res semel dicta, iterum aut sæpius alijs verbis, quę idem valeant, profertur: hoc modo, Nullum tantum est periculum, quod sapiens pro salute patriæ vitandum arbitretur. Idem sed alijs verbis, Qui bonis est rationibus præditus, profectò nullum discrimen vitæ sibi pro fortunis Reip. fugiendum putabit. Pronunciando, quando idem commutata voce dicitur hoc modo, Primùm alta voce, Tu hoc fecisti. Deinde altiori voce, per interrogationem, Nonne hoc fecisti? Postremò altissima voce, Nemo præter te potuit hoc facere. Tractando, si sententiam traijciamus aut ad sermocinationem, aut ad exuscitationem. per sermocinationem, inquam, hoc est, per sermonem fictum & formatum ab aliqua persona pro illius dignitate, hoc modo: Sapiens qui omnia Reip. causâ suscipienda pericula putabit, sæpè ipse secum loquitur: Non mihi soli, sed etiam atque adeò multò potiùs natus sum patriæ. Vita, quæ fato debetur, saluti patriæ potissimùm soluatur. Aluit hæc me, tutè atque honestè produxit vsque ad hanc ætatem: munijt meas rationes bonis legibus, opti-

mis moribus, honestissimis disciplinis. Quid est, quod à me satis ei persolui possit, vndè hæc accepta sunt? Per exuscitationē mutatur res tractando, cùm & nos commoti dicere videamur, & auditoris animum commouemus, sic: Quis est tam tenui cogitatione præditus, cuius animus tantis angustijs inuidiæ continetur, qui non hunc hominem studiosissimè laudet, & sapientissimum iudicet: qui pro salute patriæ, pro incolumitate ciuitatis, pro rei fortunis quàmuis magnum atque atrox periculum studiosè suscipiat, & libenter subeat? Equidem hunc hominem magis cupio satis laudare, quàm possim: idemque hoc certò scio vobis omnibus vsuuenire.

Fit etiam Expolitio septem partibus & capitibus ad formam Chriæ, Propositione, Ratione, Sententiâ, Contrario, Simili, Exemplo, Conclusione. vt videre est in sequenti Expolitione:

Propositio. Sapiens nullum pro Rep. periculum vitabit.

Ratio. **Ideò quod sæpe fit, vt cum Rep. perire noluerit, necessariò cum Rep. pereat.**

Sententiarum ratione. **Et quoniam sunt omnia commoda à patria accepta, nullum incommodum pro patria graue putandum est. &c.**

Contrarium. Etenim vehementer iniquum est, vitam, quam à natura acceptam propter patriam conseruaueris, naturæ, cum cogat, reddere: patriæ, cum roget, non dare. &c.

Similitudo cum ratione. **Itaque vti contem-**

nendus est, qui in naufragio nauim, quàm se, mauult incolumen, ita vituperandus, qui in Rep. discrimini suo plus, quàm saluti communi, consuli. Naue fracta multi incolumes fuerunt, naufragio patriæ saluus nemo potest enatare.

Exemplum. Quod mihi benè videtur Decius intellexisse, qui se deuouisse dicitur, & pro legionibus in hostes immisisse medios. amisit vitam, at non perdidit, re enim vilissima & parua, maximam redemit: vitam dedit, accepit patriam: amisit animam, potitus est gloriâ, quæ summa cum laude prodita, vetustate quotidie magis enitescit.

Conclusio. Quòd si pro Rep. debere accedere ad periculũ & ratione demonstratum est, & exemplo comprobatum: ij sapientes sunt existimandi, qui nullum pro salute patriæ periculum vitant. Hactenus Cicero Rhetor. ad Herenn. 4.

Quanquàm autem prodest interdum (vt quidam inquit) in re aliqua commorari, ac diutiùs auditorem in eius rei cogitatione detinere, tamen cauendum semper, ne Expolitio operosá fiat in re tenui, ne inde facias Periergian. hoc est, superuacaneam operam, nimisque curiosam & immodicam loquacitatem. Apponenda est omni generi, & deliberatiuo præcipuè, omni figuræ, & graui pręsertim, confirmationi, & confutationi.

Sententia, à Græcis Gnome, oratio est ad mores pertinens. vt, Liber is est existimandus, qui nulli turpitudini seruit. Item, Obsequium amicos,

cos, veritas odium parit. Item, Labor improbus omnia vincit. Item, Necesse est, multos timeat, quem multi timent. Tales sunt & Catonis, & Salomonis sententiæ. Sic illud, Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Aptissima est hæc exornatio omnibus generibus atque figuris, exordio, confirmationi, confutationi, amplificationi, & conclusioni. Sententias interponi (ait Scopa) raro conuenit, vt rei auctores, non viuendi præceptores, videamur esse: cum ita interponuntur, multum afferent ornamenti. Est enim necesse, eam comprobet tacitus auditor: cum ad causam videat accomodari rem certam ex vita & moribus sumptam.

Commoratio, quam Græci Epimonen vel Epizeusim vocant, est eiusdem dictionis sine medio congeminatio, cum impetu pronunciationis, vt Virg. Aen. 9. Me, me: adsum qui feci: in me conuertite ferrum O Rutuli, mea fraus omnis. Cic. Vos, vos appello fortissimi viri. Idem. Tu, tu Antoni, Cæsari ruenti atque omnia permiscere cupienti, causam belli ciuilis dedisti. Sunt à quibus hæc figura, qua sæpè non ornatior, quàm vehementior fit oratio, vocetur Palilogia. Horat. Heu heu fugaces Posthume Posthume labuntur anni. & Virg. Sic sic iuuat ire sub vmbras. Hæc exornatio graui præcipuè quadrat figuræ, in confirmationem, & confutationem. Hac vti maximè conuenit, atque id Oratoris boni maximè proprium est. Huic exemplum (inquit Cicero,

qui nullum attulit) satis idoneum subijci non potuit, propterea quòd hic locus non est à tota causa separatus, sicut membrum aliquod, sed tanquam sanguis, perfusus est per totum corpus orationis. Hæc Cicero lib. 4. Rhetor. ad Herennium. Et iure, licèt nos cæteros sequuti Rhetores prædicta appinxerimus exempla; nam sanguis diffunditur per totum corpus animalis, & ita qui velit dare exemplum, daret totam orationem; cùm in perpetua oratione, sicut & Expolitio, inueniatur, eaque de causa à plerisque inter figuras non ponitur. Hac vtitur Cicero in Miloniana, dum in exponendis insidijs commoratur. Et hæc de exornationibus siue Figuris magis familiaribus collecta sufficiant. De reliquis studiosus lector consulat Ciceronem, & Quintilianum, cæterosque huius artis magnos Scriptores: ex compendiarijs, si libuerit, M. Ant. Bonciarium Perusinum in primis, & Cyprianum Soarium è Societate Iesu, quos in Scholis instar omnium discipulus semper habui, illum propter claritatem, hunc propter auctoritatem.

† †
†

PRO-

PROBLEMATA

OCTO RHETORICA

In formam ſyllogiſticam redacta

Dabam ad prudentem virum & eruditum Aurelium Baranum Regienſem Illuſtriſſimorum DD. Nerliorum officioſiſſimum, & ad grauem in primis & doctum iuuenem Romæ natum, ſed à Canapina oriundum Valerianum Capreolum.

PROBLEMA I.

Vtrùm finis Rhetoricæ ſit benedicere, an perſuadere?

PLATONI in Gorgia, & Ariſtoteli eſt perſuadere: Quintiliano verò, quem ſequitur Talæus, eſt benedicere.

Arguitur pro Quintiliano ſic. Is eſt finis vltimus Rhetorices, ad quem omnia præcepta referuntur: Sed omnia præcepta Rhetorices referuntur ad benedicendum: Ergo vltimus finis Rhetoricæ eſt benedicere.

Sed contra pro Platone & Ariſtotele. Quod ad aliud refertur non eſt finis: Sed benedicere refer-

tur ad aliud. Ergo benedicere non est finis. Patet maior; quia finis est ille, ad quem referuntur omnia, ipse verò nusquàm refertur. Minor etiam est certissima; quia benedicere refertur ad persuasionem. Intellige tu de fine eo, qui licèt primus sit in intentione, tamen vltimus est in executione, quemadmodùm inter disserendum eiusdem dialecticis terminis mihi promptè respondit doctus vir Petrus Breyne Romanus.

Pro Quintiliano possemus iterum insurgere: Benedicere per se finem referri quidem ad persuasionem vt finem per accidens, non necessariò. Insuper Persuasionis euentus non est certus, sed dubius: at Benedicere continetur viribus artis. Vlteriùs, Orator non semper persuadet, potest tamen semper ornatè dicere.

Sed contra pro Platone, & Aristotele. Licèt Orator non semper persuadeat, id prouenit non ex arte, sed fit casu alio, scilicet ex morositate vel peruersitate auditoris.

Alij distinguunt apud Goclerium, à quo hanc problematicam syluam mutuamur, inter finem internum & externum: Ille quæritur in ipsa arte, hic extra artem. Illuc pertinet benedicere, huc verò persuadere. Sic finis artis docentis est cognitio causarum, idest præceptorum ipsius persuasionis: finis verò vltimus operantis est persuasio, ad quem dirigitur cognitio præceptionum.

Sed tu, Lector, vtramuis sententiam sequaris, licet: nos Ciceronem in Rhetoricis de Inuentio-

ne ſequimur, qui: Officium, inquit, Rhetoricæ eſt dicere appoſitè ad perſuaſionem: finis verò perſuadere dictione. Sed iſto de problemate, in quo diutiùs, quàm par fuerat, immorati ſumus, extricet nos Ariſtoteles, qui benè ſenſit, quò ſæpe mores dicentis magis perſuadeant, quàm oratio.

PROBLEMA II.

Vtrùm Rhetorica ſit ars?

SOcrates apud Platonem damnat Rhetoricam; Ergo Rhetorica non eſt ars.

Reſpondetur quòd Plato damnat Rhetoricam ſophiſticam, ideſt adulterinam ſeù fucatam, non autem germanam & veram, quæ ei eſt ars, ideſt via cum ratione coniuncta, quæ certo conſilio ad optimum finem refertur. Eodem modo idem Plato aliquando laudat, aliquando vituperat Poëticam & Poëtas.

Obijcies rurſum, Vſus veræ & germanæ Rhetoricæ ex eodē Platone eſt exiguus in Rep. Ergo, &c.

Reſpondetur, per vſum intelligi effectum. Sed quòd Rhetorica non conſequatur ſuum officium, eſt per accidens, nimirùm, vt idem Goclerius ait, propter ſummam inopiam virorum bonorum in tanta generis humani deprauatione.

Ergo reijciunda fucata Rhetorica, quæ iuſtitiam non admittit, & veris credibilia præfert. Laudibuſque ad cœlum verſus Rhetores vel Oratores

tores feramus, quibus Plato in Sophistica veros Poëtas, quos virtutum genitores appellat, vt qui non tantùm delectat, sed in primis vtilitatem hominum quærentes, eorum animos virtutibus imbuunt.

PROBLEMA III.

Vtrùm subiectum Rhetoricæ sit omnis res?

PRobatur pars negans ex Sulpitio. Rhetorica est doctrina benedicendi in quæstione ciuili: Sed quæstio ciuilis non est omnis quæstio; Ergo subiectum Rhetoricæ non est omnis res.

Probatur 2. ex Platone in Gorgia, vbi ait, Subiectum Rhetoricæ esse tantùm eam orationem, quæ in ciuilibus cœtibus versatur, & de rebus iustis & iniustis habetur. Ergo &c.

Sed respondetur vtraque probatio extendi ad Rhetoricam specialem seù forensem & ciuilem, quæ tunc temporis adstricta erat ad res Politicas, & potiùs ad persuadendum, quàm ad docendum comparata erat. Et ideò præter illa tria genera causarum, Demonstratiuū scilicet Deliberatiuum, & Iudiciale, recentiores Rhetores addiderunt Didascalicum seù Didacticum, idest Disputatiuum, siuè Doctrinale, quo vtuntur in Scholis scientiarum Doctores, & in Ecclesijs verbi Dei Declamatores.

Superflua igitur est illa appendix facta à Sulpitio Victore, scilicet in quæstione ciuili.

Sed posset respondere Sulpitius: imò necessaria fuit illa additio: nam aliàs etiam Medicus potest benedicere de ijs, quæ spectant ad medicinam; & Dialecticus benedifferere de his, quæ ad logicā.

Sed concedimus totum. Tunc verò exercendo Rhetoricam, dicetur Medicus rhetor, & Dialecticus orator.

PROBLEMA IV.

Vtrùm sit vitiosum docere Tropis?

ARistoteles in Organo, Non est disputandum, inquit, Metaphoris: Sed Metaphoræ sunt species Troporū; Ergo vitiosum est docere Tropis.

Atqui respondetur, Aristoteles vult, non esse disputandum Metaphoris, dum perfectè & diligenter docetur, putà dum definitur seù demonstratur; non autem dum describitur, quia descriptiones cùm non declarent quidditatem seù essentiam rei, sed qualitatem; ideò Metaphoras recipiunt. Vndè idem Arist. 4. Rhet. cap. dicit: Propria nomina & sua, & translata sunt vtilia ad exornandam solutam orationem.

PROBLEMA V.

Vtrùm numerus figurarum sit certus?

EX Cicerone Figuræ sunt propemodùm infinitæ; Ergo numerus Figurarum non est determina-

minatus & certus; Ergo Figurarum non est ars.

Respondetur, Etsi enim ante comprehensionem artis videatur quædam infinitas Figurarum; tamen per eandem comprehensionem artis possunt illæ reuocari ad genera & species quasdam.

PROBLEMA VI.

Vtrùm Interrogatio sit Figura?

ALij aiunt, alij negant.

Sed dices pro parte negante. Homines sine arte etiam interrogant: Sed omnis figura est ab arte; Ergo Interrogatio per se & ex natura sua non est figura. Maior patet. Minor probatur à definitione ipsius figuræ, quam definiunt esse arte aliqua nouata dicendi formam; Ergo, &c.

Sed pro affirmante respondebis, Interrogationem vsu esse figuram, scilicet cùm exercetur affectibus, admiratione, indignatione, desperatione.

PROBLEMA VII.

Vtrùm leges numeri Oratorij sint obseruandæ?

ORatoris oratio sit prosâ, quæ dicitur libera & soluta siuè pedestris; Ergo non est necesse, vt sit numerosa; Ergo eius leges non sunt obseruandæ.

Respondetur, licèt oratoris oratio sit soluta,

non tamen est dissoluta: etsi libera, tamen non licentiosa.

Sed quæres, cur dicatur libera?

Respondeo, quia eius membra recipiunt omne genus pedum; non tamen temerè quosuis, sed conuenientes rei, qua de agitur. Contrà, dimensio poëtarum est quasi seruilis, quia certis versuum ac pedum legibus est adstricta.

PROBLEMA VIII.

Vtrùm numerus oratorius natus sit ex poëtico?

Sententia affirmans habetur pro vera.

Sed forsitan quispiam dicet: Posterius non potest esse causa prioris: Sed numerus poëticus est posterior numero oratorio; Ergo numerus oratorius non est natus ex numero poëtico. Patet totum; quia ante Dauidem, qui primus omnium suas preces numeris adstrinxit, homines vtebantur prosâ, idest sermone libero & soluto.

Respondent aliqui dicentes, non sequi: Sermo fuit liber ante metricam compositionem; Ergo oratio libera (quæ tamen numerosa est) fuit ante metricam.

Dico igitur, Sermonem fuisse quidem solutum siuè liberum ante metrum, sed eundem simpliciorem & minùs ornatum.

ORDO

ORDO ET SVBIECTA
ARTIVM.

Hic ex secunda Donati nostra editione, cum auctario expositа in gratiam Domni Ioann. Bapt. Smachiæ consobrini Fratris, Montis Virginij apud Brygianum Archipresbyteri.

DVo sunt artium genera. Alterum mechanicum, vt lanificium, nautice, agricultura, chirurgia, sic dicta, quòd manuum officio exerceatur. Alterum, quod præceptionibus magis, & animi meditatione, quam corporis exercitio discitur. Hoc diuidi potest in quinque formas: Logicen, Mathematicen, Moralem, Naturalem, Supernaturalem.

Logices partes sunt: Grammatice, Dialectice, Rhetorice.

Mathematices sunt: Arithmetice, Musice, Geometria, Astronomia.

Moralis: Ethice, Oeconomice, Politice.

Naturalis: Physice, ac Medicina.

Supernaturalis: Metaphysice, & Theologia.

Septem priores liberales vocantur, quòd liberum requirunt animum.

Politicæ partes duæ, Ius ciuile, & scientia militaris: quæ in terrestrem, naualemque distribuitur.

Me-

Mechanicarum artium ſubiecta ſunt, lana, nauis, agri.

Grammatices ſubiectum, eloquentia: Arithmetices numerus: Muſices, numeri conſonantia: Geometriæ, magnitudo: Aſtronomiæ, magnitudo cum motus ratione. Ethices, quæ virtutum ac vitiorũ genera tradit, ſummum bonum: Oeconomices, res domeſtica: Politices, Reſpublica: Phyſices, corpus: Medicinæ, corpus humanum: Metaphyſices, ens: Theologiæ, Deus.

Politice habet etiã has ſpecies: Ariſtocratiam, Democratiam, Oligarchiam, Timocratiam, Monarchiam.

Ariſtocratia igitur ſpecies quędam eſt Reip. vbi optimates & delecti nobiliores dominantur, qualis hodiè Venetorum fertur Reſp. quæ ſola Ariſtocratiam ſuam puram & illibatam adhuc conſeruauit: vndè dici ſolet, *Rempublicam Venetam etiamnum eſsè Virginem*, ac nullam ſenſiſſe corruptionem. Ariſtocraticè etiam multi diù vixerunt, & præcipuè Romani, qui eiecto Tarquinio Superbo, dum primùm Conſules, mox decemuiros crearent.

Democratia, vbi Populus imperium habet, qualis Genuenſium eſt Reſpublica.

Oligarchia, vbi pauci imperant, qualis tyrannorum Reſpublica fuit Athenienſium.

Timocratia, vbi multitudine regitur ciuitas & gubernatur.

Monarchia in vnius modò imperio poſita eſt: fitque

fitque per electionem, siuè hereditariam successionem.

Differt autem Aristocratia (inquiunt) ab Oligarthia. I. quòd in hac diuitiarum potissimùm, in illa virtutis ratio habeatur; adeò vt in Oligarthia non viri probi, sed diuites imperent. II. quòd in hac fastus, aliorumque contemptus vigeat; in illa verò non. III. quòd in hac discordijs & dissensionibus cuncta misceantur; in illa verò tranquilla magis sint omnia. Et certè Oligarthia commodissimè conferri potest cum familia, in qua vxores & mariti rixis mutuis perpetuò sese exercent, liberis interim vel neglectis, vel crudeliter tractatis.

Rursum artium genera tria sunt. Animi tantùm, vt Poëtice, Musice, Astrologia, Grammatice, Rhetorice, Iuris scientia, Philosohpia. Corporis, vt iaculatio, saltatio, velocitas. Animi & corporis: vt ruris cultus, palæstra, chirurgice.

Denique omne artium genus: aut est inspiratum, vt Theologia: aut inuentum, vt Philosophia.

Philosophia, idest amor sapientiæ, est certa notitia de artibus dicendi, de rerum natura, & de moribus, quantum humana mens assequi potest in hac corrupta natura.

Philosophia species non habet, sed distribuitur in partes tres, in Logicã, quæ sermonis rationem complectitur: Ethicam, quæ mores & viuendi leges docet: Physicam, quæ rerum naturas scrutatur.

Hinc

Hinc in laudem Philoſophiæ ſcripſit Boethius de Conſolat. lib. 1. proſa 3. Itaque vbi in eam deduxi oculos, intuitumque defixi, reſpicio nutricem meã, in cuius ab adoleſcentia laribus obuerſatus fueram, Philoſophiam. Et quid (inquam) tu in has exilij noſtri ſolitudines ò omnium magiſtra virtutum, ſuperno cardine delapſa veniſti?

Et Cicero lib. V. Tuſculan. quæſt. exclamauit: O vitæ Philoſophia dux, ò virtutum indagatrix expultrixque vitiorum, quid non modò nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu vrbes peperiſti: tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ conuocaſti: tu eos inter ſe primò domicilijs, deinde coniugijs, tum litterarum & vocum communione iunxiſti: tu inuentrix legum, tu magiſtra morum & diſciplina fuiſti. Ad te confugimus: à te opem petimus: Tibi nos, vt antea magna ex parte, ſic nunc penitus, totoſque tradimus.

Theologia, ex S. Thom. eſt doctrina neceſſaria homini præter ſcientias naturaliter inuentas ab eo. Hæc illuminat intellectum, nutrit & roborat animam, & mouet affectum: aliæ verò ſcientiæ illuminant tantùm. Vndè meritò (inquit Hieronymus Sauonarola lib. 2. de ordine ſcientiarũ) hæc ſola digna eſt homine ſapientia, cuius ſtudium homines perfectos reddit, ac propemodùm beatos, & præponenda eſt regnis, & ſedibus, atque in compararione illius omnia ſunt vt ſtercora exiſtimanda. Tantùm enim diſtat hæc ab alijs ſcien-

tijs, quantùm Deus distat à creaturis, dicente Scriptura, infinitus thesaurus est hominibus, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. *Sap. VII.*

Symmachus lib. 1. epist. 79. ad Hesperium.

Scis, inquit, bonas artes honore nutriri, atque hoc specimen esse Florentis Reipublicæ, vt disciplinarum professoribus præmia opulenta pendantur.

Martialis ad Liuidum lib. 1. Epigram. XLI.

Qui ducis vultus, & non legis ista libenter,
Omnibus inuideas Liuide, nemo tibi.

F I N I S.

ROMÆ, Formis Francisci Monetæ. M. DC. LIII.

Superiorum Permissu.